



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

BIBLIOTHECA REG
HAFNIENS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

53,-65.-8°

DA-Bot

(LN bis 135

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

DANEIDVM
SIVE
CARMINVM
DE REBVS DANICIS

LIBRI QVATVOR, SCRIPTI A

M. IOHANNE SEC-
ceruitio Profeſſore Acade-
miæ Gryphis.

ARGVMENTA SINGV-
lorum librorum verſo folio le-
ctor inueniet.

Stetini in officina Andreæ Kell-
neri, Anno 1581.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

PRimus liber continet carmen gratulatorium ad inclytum & inuictiſsimum Principem ac D. Dominum FRIDERICVM II. Daniæ & Noruegiæ Regem &c. de Natali filiolæ AVGVSTAE, quæ nata eſt Coldingæ die 8. Aprilis, & baptiſata ibidem die 26. Iunij. Anno 1580,

Item Protrepticon Clementiæ, & Fortitudinis ad Illuſtriſsimum Principē CHRISTIANVM FRIDERICI II. Daniæ & Noruegiæ Regis filium.

Secundus liber continet Hodœporicon itineris Danici, in quo Natalis & Baptiſmus Regiæ filiolæ AVGVSTAE, & obitus nobilis & magnifici viri Iohannis Schongardij &c, & quædam alia celebrantur.

Tertius & quartus liber continent Elegias ad viros illuſtres, & amicos in Dania.

AD

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

AD INCLYTVM ET INVICTISSIMVM PRINCIPEM AC DOminum D. FRIDERICVM II. Daniæ, Noruegiæ, Gothorum & Vandalorum Regem, Ducem Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ, Ditmarſiæ, Comitem in Oldenburgk & Delmenhorſt, &c. Dominum Clementiſſimum

EPIGRAMMA DEDICATORIVM.

VNice Rex, noſtri lumen felicius æui,
Hoſpitium Chriſti qui tua regna facis.
Quiq́ꝫ foues placidas Arctoo littore Muſas,
Et Patriæ præbes otia grata tuæ.
Cum tua ſit latè ramis diffuſa poteſtas,
Arbor vt excelſas fundit opaca comas:
Cumq́ꝫ tui lateat blanda ſub verticis vmbra,
Imperio quicquid viuit vbiq́ꝫ tuo.
Me quoq́ꝫ ſolatur timidis ſpes addita votis,
Dum quæro Muſæ tecta laremq́ꝫ meæ.
Suſcipe me patulis Rex ô mitiſſime ramis,
Et ſine me nemoris parte latere tui.
Seu laudis monimenta tuæ, ſeu clara tuorum
Nomina Pierio carmine ſcripta fero:
Munus vtrumq́ꝫ tuum eſt, Dominiq́ꝫ meretur amorem,
Si modò non claudis frondea tecta tuis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Sed neq; tu claudis, nec Rex, te mitior vllus
Omnibus expoſito mentis amore patet.
Ergo tua dulces captans ſub fronde latebras
Muſa tibi, & poterit noſtra placere tuis.

R. M. T.

Submiſſe colens.

Iohannes Secceruitius.

CAR.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

LIBER PRIMVS DANEIDVM.

CARMEN GRATVLATORIUM ad FRIDERICVM II. Daniæ & Noruegiæ Regem &c. De Natali Filiolæ Auguſtæ.

IAm Regina nouo decorârat pignore terras,
Balthica quas Thethys, & Mænala circuit Arctos.
Imperioq́; maris, FRIDERICVS & vbere glebæ,
Qui veteres Cimbros, & Danica regna gubernat.
Tam lumen, paciſq; decus, quam fulmen in armis,
Exultabat ouans, Natæ regalis amore,
Quæ geminas inter, blando charis ore, ſorores,
Iam nunc aureolis arridet tertia cunis.
    Tum ſcopulo Triton conſedit glaucus acuto:
Atq́; illum circum Nereides adglomeratæ
Plauſibus, æquoreiſq́; choris luſere per vndas.
Ille canens alta complebat littora voce.
    Salue dulce decus Patriæ, Rex maxime gentis
Cimbrigenæ, flos magnorum ſanguiſq́; parentum,
Atq; idem ſacros alto de ſanguine Reges,
Reginaſq́; in regna ſerens, felicibus aſtris.
Quis, tot læta tuæ memorando munera ſortis,
Læticia, cantuq́; nudantia temperet ora?
    Sunt alijs aliæ dotes, & munera cœlo
Diſparibus partita modis, pro lege mouentis
Cuncta Dei, vario veniunt mortalibus vſu.
    Huic validos tribuit proceri corporis artus

Huic formæ Natura decus, frontiſq́; nitorem
Sydereæ, roſeaſq́; genas, flauoſq́; capillos.
Hunc ſublime genus claris natalibus ornat:
Hunc opibus ſors læta beat, luxuq́; renidet,
Perfuſus veſtes, oſtroq́;, auroq́; ſuperbas.
Hunc fauor, & fidis ſua gratia munit amicis:
Illum caſta toro coniunx, & dulce micanti
Delectant vultu, generoſo ſanguine Nati.
Sunt quibus ad bellum vires, & robur in armis
Suppetit, atq; animi præſens Mauortia Virtus:
Hos, Patriæ fines blanda ſub pace tueri,
Iuuit, & aſsiduos cenſu ſtipare penates.
His laus Iuſtitiæ, normæq; addicta ſeueræ
Mens ſenior mirum ſanctæ grauitatis honorem,
Illis inſignem tribuit Clementia famam.
Hæc diuiſa alijs, tu largo munere Diuûm
Iuncta tenes: & te, Cimbrorum maxime Rector
Munera tot lætæ ſortis, tot corporis ornant,
Atq́; animi decora alta tui, felicior vſquam
Extet vt in magnis hoc nemo Regibus æuo.
Si decus & ſplendor generis, laudisq; paternæ
Fama iuuat, quæ fama tuo ſat digna Parenti?
Aut quas non meritis impleuit laudibus oras.
Holſatiæ de ſtirpe Ducum, qui ſtemmate ducto
Antiquo, inſigni, maioribus inde per altum
Auſpicijs Diuûm manifeſto Numine vectus,

Res duras regni, & magno turbata tumultu
Sceptra ferens Danæ gentis, fortiſsimus Heros
Extulit in melius, pacemq́ reduxit, & æquas
Impoſuit leges populis, moremq́ ſacrorum
Purgatum Auſonijs tenebris, & nocte profunda:
Nec non Pierides, ipſo ex Helicone vocatas,
Tam procul Arctoo iuſsit conſidere regno.
Hoc Genitore ſatus, celſo venerabilis ore
Irradias, ipſoq́ aſpectu Regius Heros
Noſceris, exhilarans oculos, & corda tuorum.
Tum geris Heroo tantas in corpore vires,
Vt palmam Alcides tibi ceſſerit ipſe laborum,
Luctantem Pollux, & te miretur euntem
Caſtor equo, qualis iuuenum ſtipante caterua
Ipſe per Eurotæ ripas pulcherrimus ibat
Alipedemq́ citum facili verſabat habena.
Venatu Dryades, ſyluis & Oreades altis
Ire tibi gaudent comites: nec magnus Orion,
His nec te vincat ſtudijs pharetrata Diana.
Quid, quæ iam monimenta mari virtute dediſti?
Ipſe tuas medijs Nereus miratur in vndis
Ingentes operum moles, & grandia facta.
Suſpiciens, patrijs Numen te fluctibus addit.
Diuitijs etiam ſuperas, regalibus omnes,
Quotquot in hoc ſolio, te ſceptris antè paternis,
Aut priſcis ſedere, aut his propioribus annis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Nec tibi nequicq̃ cura eſt inhiare repoſtis:
Per benefacta tuæ potius ſed candida dextræ
Munificus commendat opes, & regius vſus:
Quà dulces Muſas, & relligionis honorem
Auxilio miti cumulas, aut prœmia confers
Larga manu meritis, qui celſi commoda regni,
Militiæ, paciſuè ſtudent augere per artes.
Aut validas arces, & propugnacula bello.
Extruis, & tumidum conſternis claßibus æquor,
Ingentesq́; armas telis, opibusq́; triremes.
    Hinc & Marte potens, Arctoi gloria Ponti,
Pacatis coleris populis, & ab hoſte timeris
Et ſenſere tuas arma inter Martia vires
Hæ debellatæ gentes, hæ pacis adactæ
Fœdera ſuſcipere & malè fauſtum ponere Martem
Defenſis alijs vindex ope, rebus in arctis,
Fida ſalutiferæ monſtraſti robora dextræ.
    Ergò nec in ſæuo tantúm tua gloria bello:
Sed pietas plus ipſa decet, miſerosq́; tueri,
Et donare tuis, placidamq́; parare quietem,
Te meritò FRIDERICE iuuat, ſic nominis omen
Admonet, & ſtudij quondam laus illa paterni,
Marte truci domito, quò regnis otia ſerues
Pacificus Patriæ Pater, & Salomonius Heros.
    Sic quoq́; certatim ſtudijs, magnisq́; coruſcas
Septus amicitijs Heroum, rebus & amplis

Præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Præſidium fœlix, optataq́ꝫ fœdera iungis.
Præcipuè Auguſtus Saxo tibi rite ſororis
Connubio, atq́ꝫ animis, opibusq́ꝫ adiunctus amicis,
Et ſocer Vlricus cuſtos Megalepolis oræ,
Rebus vterq́ꝫ tuis canæ virtutis adhærent
Par decus, & celſæ par lux in culmine ſortis.
Quid loquar, ut Regni proceres, & ſubdita latè
Gens omnis, prono tua iuſſa capeſſat amore
Pollentem iuſta grauitate verentur iniqui,
Clementemq́ꝫ boni placido cognoſcere vultu,
Atq́ꝫ tuum gaudent ſibi conciliare fauorem.
Nec tu difficilis faſtu, ſed pectore miti
Omnibus expoſitus, voces & vota tuorum
Cognoſcisq́ꝫ audisq́ꝫ libens, lætosq́ꝫ remittis,
Æqua viris reſponſa ferens, mentemq́ꝫ benignam.
Præterea placidæ quæ dos eſt maxima vitæ,
Regia te coniunx, tanti digniſſima Regis
Connubio, Charites vultu, caſtaq́ꝫ Mineruam
Mente gerens, beat æthereo Sophia aurea nexu.
Cui Pater ille pius Guſtroa per atria Princeps,
Iuſticia celebris Princeps, & legibus almis,
Qui genus Heruleum, populosq́ꝫ arcesq́ꝫ gubernat,
Gentis Obotritum fortiſſima pectora bello.
At mater tanti decus ELISABETA mariti
Eximium, pietatis amans, & dedita Chriſti
Cultibus aſſiduis, tutelaq́ꝫ gentis, & aulæ

Heruleæ, morum ſolers grauitate verenda:
Cui tecum commune genus, quondamq́ꝫ Parenti
Fida tuo æquali ſoror incedebat amore.
Nunc huius te Nata colit, carumq́ꝫ maritum
Inſtar fratris habet, geminoq́ꝫ è fœdere gaudet
Et præſtare tori, & conſanguinitatis amorem.
  Hæc etiam læta faciens te prole parentem,
Delitijs thalamum tibi ritè iugalibus ornat.
Ac veluti teneris vernantem floribus hortum
Blanda ſerenati fouet indulgentia cœli:
Aut Sol purpureus fœcundæ germina vitis
Euocat, & viridem de Palladis arbore ſyluam:
Sic tu Sol illi præ cunctis pulchrior aſtris:
Sic ſtirpis decus illa tuæ plantasq́ꝫ nouellas
Edidit, eximia florentes indole Natos,
Spem regnis, ſeriemq́ꝫ nouam, Natasqꝫ pudicas
Præſtantes facie, & caſtis quæ legibus olim
Magnanimis iunctæ Regali in ſorte maritis,
Inſignes æquent virtutibus Heroinas,
Atq́ꝫ ipſam referant diuino pectore matrem.
  Quodqꝫ adeò patrijs felix ſit & vtile terris,
Aurea nunc quinto cumulat tibi pignora partu
Lucinaq́ꝫ pios dudum releuante labores,
Enixa eſt roſea ſpirantem luce puellam,
Aßyrijs ſpirantem auris, & odore Sabæo
Cuius vt exornent cunas, iam floribus Horæ

Acceſ-

Acceſſere ſuis, & verni gratia cœli
Blandior aſpirat Zephyris, & mitibus auris.
Arrident lætæ Charites, & munera paruæ
Sufficiunt, de more pio nutricis, alumnæ,
Mellis odorati ſuccos, fontiſq; liquorem
Nectarei qualem ſuperis dum pocula miſcet,
Auratis Hebe pateris pulcherrima fundit.
Adſunt & viridi decoratæ tempora lauro,
Caſtalideſq; pio cunabula regia cantu,
Demulcere ſtudent, molleſq; inducere ſomnos.
Quid Diuas alias, quid cœtera munera dicam?
Dat Iuno regale decus, ſceptriſq; futuris
Ingens auſpicium, caſtos in pectore mores,
Ingeniumq; ſagax Pallas, Venus aurea formam,
Purpureoſq; genis candentibus afflat honores:
Idaliis ceu miſta roſis cum lilia vernant.
Quin etiam vaſti gratantur Numina Ponti:
Cymodoce gemmas, inuenta corallia Ponto
Fert Galathæa: cauis Spio depromit ab antris
Electrum certans ebori candore niuali.
Et pater ipſe uagis exultat Glaucus in vndis
Nympharum comitante choro, monſtroq; virenti
Inuehitur Phorcus, quem læto examine cingit
Grex ſuus, & tremula verrit vada cærula cauda.
An referam ſyluas, ſyluarum & Numina Faunos,
Faunoſq;, Satyroſq; truces, Dryadaſq; ſorores,

Sylua

Syluanumq́; patrem frondenti robore cinctum?
Omnes at læto reboant clangore per auras:
Omnis & æquoreo circumdata Dania fluctu,
Cum ſyluis liquidiq́; lacus, amnesq́; loquuntur,
Lætiſonoq́; canunt Regalem murmure Natam.
Dant plauſum proceres, & culta per oppida ciues.
Et plebs ludit agris, laſciuaq́; rura voluptas,
Atq́; procax exercet Amor, mollesq́; choreæ.
Panaq́; Paſtorumq́; choros ſua carmine dulci
Fiſtula, lanigerumq́; pecus, ſimasq́; capellas,
Pinguia tondentes & mulcet prata iuuencos.
Atq́; ipſæ reſonant auium concentibus auræ,
Dulcius & ſolito rapiunt per nubila carmen.
Sed iam celſa petunt aurati limina tecti:
Siſtitur & ſacram venerabile pignus ad vndam.
Magnanimi Heroës votis comitantur, & ipſæ
Ore fauent, caſtis ac mentibus Heroniæ.
Intereà Nymphæ laſciuos ponite luſus,
Et ſileant vaſti pauliſper murmura Ponti.
Sancta Trias, veneranda Trias, Rex ætheris alti
Ipſe ſuo præſens has trino Numine lymphas
Ecce mouet, vegetatq́; Deo date vota ſupremo,
Votaq́;, compoſitas & flexo poplite palmas.
Sit felix, fauſtumq́;: rubent en ſanguine lymphæ,
Sanguine Chriſte tuo, rutilant & Flaminis igni
Flaminis ætherij, cuius vi Pontus, & omnes

Viui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Viuificum terræ quondam traxere vigorem.
Sit fœlix fauſtumq́; : ſacra modò luce propinquat
Ille ſacer vates, tinctu qui primus aquarum
Inſtituit veteres, Chriſto duce, mergere culpas.
Fallor? an ipſa dies Baptiſmi proſperat omen?
Sed iam lætiſoni redeant & murmura Ponti,
Et choreas Nymphæ, dulcesq́; reducite luſus.
Ipſi iam redeunt proceres, ſacrisq́; peractis,
Conſidunt menſis hilares, ſtant ordine longo
Regales epulæ, & fuluo cratêres Iaccho:
Et læti labente die conuiuia ducunt.
Sit felix fauſtumq́; : Deus Rex ætheris alti,
Tergeminiq́; fauens ô Numinis alma poteſtas
Adſit, & hanc teneram, Patris noua gaudia Natam,
Progeniemq́; domumq́; omnem, cum matre ſerena,
Teq́; adeò inprimis, Danæ Rex inclyte gentis,
Fortunatum omni tegat, ac tueatur in æuo:
Lætaq́; pacatis tibi proferat otia regnis.
Hæc Triton: cano iuxta cum gurgite Protheus
Proſiliens, fatis & ſoluens ora futuris,
Diuino ſenior ſubiecit talia vultu.
Et dedit ingentem terris, & gentibus iſtis,
Et Deus vſq́; dabit Regem, virtute paterna,
Imperioq́; potens patrijs eliminet oris
Qui procul omne nefas, & dirum cædis amorem
Arceat, ac placidam turbantia bella quietem:

Quæq;

Quæq; tenent æquas recto moderamine lances,
Ciuibus, & timidis diſpenſet iura colonis.
Iam video fuluam ex auro rutilare coronam
Conuentusq́; ſacros Procerum, pompasq́; per aulam
Solennes, & tot lætantis gaudia regni,
Tot plauſusq́; tubasq́;, tot acris imagine Martis
Decertata virûm dubio ſpectacula circo.
Ipſe Pater roſeo perfuſus gaudia vultu,
Regina cum matre, preces & vota ſupremo
Miſcebit cœlo. monitis tum ritè peractis,
Et precibus, dulci multum gratatus alumno,
Mandabit ius, & curam de more ſalutis
Tantorum latè populorum, & ſplendida ſceptra
Ferre manu, & ſacrum permittet legibus enſem.
Ipſi ſe populi votis animisq; volentes
Subijcient: ipſe auratus cum legibus enſis,
Ipſaq́; ſceptra piam gaudebunt tangere dextram
Principis egregij: fuluæ diadema coronæ
Sponte ſua dium capiti ſuperaddet honorem.
Qualis vbi Solymas arces, ac regna ſubiuit,
Grandæuo genitore, pios in gaudia ciues,
Atq; omnem Salomon commouit plauſibus vrbem.
Ergò age creſce tuis ter felix Dania fatis.
Relligio tibi luce ſua, tibi pura manebit
Vox ſuperum caſtas ducens ad ſydera mentes.
Hæreticæ fraudes aberunt, nec turpia monſtra

Romu-

Romulidum, ſacrumue lupus vaſtabit ouilē.
Laurigeris etiam ſtabunt ſua præmia Muſis,
Et virides doctis palmæ : contemta iacebit
Horrida barbaries : nec tantum merce per æquor
Mutanda, patrio vel nobilis Haffnia portu.
Sed magis Aonij florebit cultibus horti.
Creſce age, creſce tuis terfelix Dania fatis.
Per populos veneranda tuos Aſtræa vigebit,
Et patrias leges & iura antiqua fouebit.
Et dolus,& cæcas inuiſa calumnia fraudes
Quæ ſerit, ac lites in longum prorogat æuum,
Infandumq́; ſcelus prætextu iuris obumbrat,
Peſtiferum nunq̃, caput his extollet in oris.
Diues, inops ſub lege pari ſuffragia cauſæ
Audiet æqua ſuæ. iuſto ſub vindice ſceptro
Gaudebit probitas, triſtes dabis improbe poenas.
Creſce age, creſce tuis ter felix Dania fatis.
Pax terris optata tuis, pax grata colonis,
Moenia pax dulcis, ſummas habitabit & arces :
Et tua rura Ceres flauis ditabit ariſtis :
Paſcet fœta Pales pingues armenta per herbas :
Squamigerûmq́; greges fundet Neptunus opimos.
In medio dulci velut omnia rore fouebit
Ipſa ſalutaris placidi clementia Regis.
Hoſtibus at ſæuis metuenda potentia longè
Arcebit. belli ſtudium, frangetq́; furorem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Creſce age, creſce tuis ter felix Dania fatis
Nunc etiam ad ſummos creſcit virtutis honores
Paruulus VLRICVS, placidum & venerabile nomen
Materni qui geſtat aui, nec Numina nomen
Imminuent quondam pietate ſimillimus illi,
Gratior & populos reget æquo iure volentes.
Quid ſi etiam ſurgens alter FRIDERICVS in au-
In patrias creſcat repetito nomine laudes? (ras,
Et volet hoc Superûm pater, & concordia fratrum
Tergemino vincet Pollucem & Caſtora nodo,
Sed iam ſyderea flagrantes luce puellas
Aſpicio, ſparſumq́; genis, oculiſq́; decôrem
Tuq́; adeò, tu nunc auiæ quæ nomine gaudet,
Salue dulce animi decus ELISABETHA modeſti.
Iam tibi præceptis morum venerabilis aſtat
Sophroſyne, ſanctumq́; animo virtutis amorem
Inſerit: Euphroſyne viuo de nectare guſtum
Læticiæ, & placidam ſpargit per corda quietem.
Teq́; thoro iunctus ſaturabit fœdere Diuûm
Illuſtris iuuenis pietate & fortibus auſis.
Nec minus ANNA nouum ſurgit tibi Dania ſydus
ANNA nouo ſplendore micans, pulcherrima qualis
Erigone, Creſſa nitet aut Ariadna corona.
Sic Aglaia genas, oculos ſic illa pudicos
Sic mentem veneranda gerit, ſic moribus aptis
Componit ſeſe, Diuis ſpectabilis ipſis.

O quan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

O quantum decus ANNA tuum ſors ſplendida tollet?
O quem fauſta tibi donabunt fata maritum?
Sed decus, & ſortis ſplendorem gratia vincet,
Moribus ingenuis, roſeisq́; affuſa labellis.
Tu quoq; quem viridem modò nata puellula florem
Oſtendis nobis? num te ſperare Thaliam,
Et memorare datur? ſic ſic mihi ſydera ſpondent.
Nec vana augurium facies illudit Olympi.
Tu ſemper virtute tua, pulchraq́; virebis
Laude pudicitiæ: qualis chariſſima Phœbo
Vſq; viret Daphne, virgo tamen innuba Daphne,
At tu ritè coles vt virginitatis amorem,
Planta maritatis ſic quondam florida ramis
Germine formoſo viridi certabis oliuæ.
Dixerat hæc Protheus, finemq́; obſcura ferebant
Temporibus quondam retegenda oracla futuris.
Cum mare, cum liquidus ter fulgure ſplenduit æther,
Læuaq́; cum tonitru per ſudum flamma cucurrit.
Et niuei toto volitantes littore cygni
Lætiſonum liquido ſuderunt gutture carmen.
Chriſte pater rerum caput, & Rex optime Regum,
Da mare, da terras placido ſub iure tueri,
Semper & eximijs pietatem oſtendere factis
Magnanimo Regi, qui Danica ſceptra gubernat.
Nec natos Regis ſeros nec deindè nepotes
Laus nunq̃, magni Patris, aut fortuna relinquat.

PROTREPTICON CLEmentiæ & Fortitudinis ad Illuſtriſsimum Principem CHRISTIANVM, FRIDERICI II. Daniæ & Noruegiæ Regis filium.

FAs mihi ſit voces, & dona referre Dearum
Spem quibus imperij magni, monituſq́; dederunt
Egregios dulci Danorum Regis alumno.
Tuq́; adeò ſacrate puer, de nomine CHRISTI
Qui fortunato geris omine nomen auitum,
Tuq́; Paterq́; tuus, latè quem Balthica Thetys
Et gens clara virum gelida diffuſa ſub Arcto
Miratur ſceptris, animiſq; opibuſq; potentem,
Eſte ſimul faciles, veſtrumq́; per æquor eunti
Aſpirate meæ, precor, & date vela Camœnæ.
Eſt locus arboribus, ſyluis & clauſus opacis:
Horror ineſt, numenq́; loco ferturq́; ſub antro
Frondoſo, ſtagnans cui circumfunditur humor,
Hîc colere arcanos pharetrata Diana receſſus.
Nec procul indè ſui FRIDERICVS nominis arcem
Condidit, & ſeptis clauſit genus omne ferarum.
Multaq́; præterea quæ ruris amœna voluptas
Venandiq; petit ſtudium, ſibi ſede parauit
Egregia, varioq́; illam decorauit honore
Hac puer arce ſedens generoſa mente Dianam
Hauſerat & primos venandi lætus amores.
Iamq; ſibi læui venabula lucida ferro,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Iam celerem depoſcit equum: iam feruidus acrem
Optat aprum, aut rigidum villis horrentibus vrſum.
Exultatq; animis, maioraq; viribus audet
Indole præcurrens annos, ſtudioq; virili.
Cui fidus cuſtos, dederat quem cura Parentis:
Nè ſæui generoſe puer: tibi talia tempus
Mox hinc ſpontè feret, ſpolijs & ſæpè ferarum
Indutum Nymphæ, patrio te limine ſiſtet.
Nunc ſine, dum firmet vires maturior ætas.
His dictis (ſimul ecce parens, & cætera pubes
Exierant, & iam ſyluas indagine cingunt)
Interiora domus ſecedens tecta petebat.
Triſtior & ſola ſecum verſabat in aula:
Quod nam laudis iter, quæ prima exorſa laborum
Seu virtus & fata ferant, ſeu firmior ætas,
Tùm monimenta ſimul veterum luſtrabat auorum,
Atq; animi magnum puer inflammabat amorem
Picturæ heroum generoſæ ſtirpis inhærens.
Talia voluenti ſubitò lux maior oborta eſt
Ædibus in medijs, geminumq; aſſiſtere Numen
Vidit, & obſtupuit ſacro ſulgore Dearum,
Vna fuit placido mitis clementia vultu
Quæ ſic orſa prior: nam te clariſſime Regum
Sanguis ad imperij Deus aurea ſceptra paterni
Et Natura vocat, præſtansq; in pectore virtus
Ergò ſalutaris Patriæ moderator habenis

Et felix, caruſq; tuis vt regna gubernes,
Quæ Genitor fato quondam tibi magna relinquet:
Conſilijs pare, tibi quæ pulcherrima cœlo
Ferre iubet Superûm chorus; atq́; his pandere dictis.
Principio venerare Deum, qui munera vitæ
Omnibus, at celſæ pariter tibi culmina ſortis
Regaliq́; in ſede ſacros aſsignat honores.
Ille ſuum quoniam demiſit Numine Natum,
Doctorem vitæ reparatoremq́; ſalutis,
Qui Reges, populoſq́; beat, pariterq́; potentes
Atq́; humiles patrij vocat ad conſortia regni.
Hunc age ritè colens tibi iam propone Magiſtrum
A puero, dictis illius vt aurea ſurgat
Mente fides, pietaſq́; tibi, certæq́; ſalutis
Ingrediare viam, ſacro quæ lumine verbi
Teq́; tuoſq́; ferat cœli ſuper atria ciues,
Subijciens Chriſto placidi moderamina regni.
Regibus hanc adeò ſummi Rex ætheris ipſe
Impoſuit, primamq́; dedit ſub pectore curam:
Diuina quæ voce ſacros Eccleſia cœtus
Colligit, ac totum latè diffuſa per orbem
Militat. ætherei propagans dogmata Verbi,
Semper vt ipſorum miti defenſa fauore
Grata patrocinia, ac nutricia dona reportet.
Hunc igitur præfige tuis ante omnia finem
Conſilijs, hæc ſumma tibi ſtet meta laborum:

Seruiat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Seruiat vt Chriſti diuino ſemper honori,
Quæ te cunq; manet regali ſorte poteſtas.
Hoc facies, verbum, verbiq; fouere miniſtros,
Atq; pios templis ſi rectè educere cœtus
Inſtitues: ſic ipſe Parens, ſic optimus olim
Ille tuus rem geſsit auus, quo vindice primum
Verior his pietas, & pax eſt reddita terris.
Prætereà rerum moles ampliſsima magnis
Regibus incumbit, duplicatq; in pectore curas:
Dum Patriam, ciuesq; bonos in pace tueri,
Et pœnis terrere malos, ac carcere legum
Iuſtitiaq; ſtudent mentes frenare ſuperbas.
Quippe ſuas his ipſe vices rex ſummus Olympi
Credidit, & populos latè magnasq; per vrbes
Iura poteſtatis validis commiſit habenis:
Numinis vt morem referant ac cœlica terris
Inſtaurent alacres diuini dona Parentis.
Ergò velut pietatis agent curamq; ſacrorum
Condidit æterni Chriſtus quæ dogmate verbi:
Sic quoq; iuſticiæ ſtudium, pacisq; fouebunt,
Et leges & iura dabunt, Patriæq; ſalutem
Vt ſeruent, multa vigiles nitentur opum vi.
Hoc opus, hic labor eſt, hîc ſe prudentia curis
Exerit alma ſuis, vſuq; intenta ſagaci
Prouida dexteritas per mille pericula tendit.
Idcircò grauibus ſtudijs formanda Mineruæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

A teneris mens alta tibi, doctasq́; per artes,
Aonidum dulci in gremio, nutrita poliri,
Ornariq́; dabis multo tua pectora cultu.
Et quid ſit rectum, iuſtumq́;, quid vtile, quid fas
Quidue nefas, quid fraude nocens, & crimine turpi
Ad certam aſſueſces expendere cautus amuſſim.
Inſuper hiſtorias, rerumq́; exempla perito
Addiſces animo, varijsq́; monebere Regum
Caſibus, & veteres populos ſpeculabere & vrbes
Scilicet indè tuis quæ nam moderatio regnis
Conueniat, quid damna ferat, quid commoda præſtet,
Iam velut ex alta ſpecula prænoſcere tutus,
Securusq́; potes: neu per ludibria cæcæ
Lubricus incedas ſortis, præcepsq́; feraris
Firmabunt ſtabiles aliena pericula greſſus,
Hinc vbi præpoſitum regnis te admouerit ætas
Adiungenda ſimul tibi lecta corona bonorum
Præſtantumq́; Virûm multa quos imbuit arte
Et Sophia, & Veneranda Themis, quibus integra corda
Verborum, rerumq́; fides, qui mente perita
Conſilijs, grauibusq́; animos intendere curis,
Et norunt fidæ præſtare ſilentia linguæ.
Tali concilio comitum ſubnixus in omnes
Proſpicies partes, & quid Reſpublica poſcat,
Aut Patriæ commune bonum, quo diuite cenſu
Præſidia accumules regno rebusq́; gerendis:

Deniq́;

Deniq; quid moneant leges, quæ iura miniſtres
Ciuibus & quali diſpenſes præmia lance
Quo pœnas moderere modo, qua gentibus arte
Occurras etiam externis, Sapiente ſenatu,
Ipſe ſimul doctus, ſapiensq; exquirere veris
Fontibus, & poteris cunctarum cernere rerum
Momenta, atq; bonum ſemper verumq; ſequendo
Euitare malas, fortunæ retia, fraudes.
Nè verò tibi palpones, nè iunge nocenti
Qui delatores lingua mala crimina ſpargunt
Neu facilem fictis horum ſermonib. aurem
Credulus aduertas. multis temeraria damno
Credulitas fuit, & prætextu iuris, iniquo
Occubuere dolo multi, quorum improba furtim
Inſidias capiti, famæq; calumnia ſtruxit.
Sic miſer Hippolytus perijt. ſic exul in oris
Niliacis falſum crimen Ioſephe luiſſes
Ni te cura Dei leuent ad maiora vocatum.
Omne ſodalitium, quod res deformat heriles,
Et ſceleris fraudisq; procul ſeclude miniſtros
Nè famæ, laudiq; tuæ, nè ciuibus ipſis
Et Patriæ, regnoq; tuo graue virus inhalent,
Egregiamq; ferant contagia dira per aulam.
Ipſe adeò nulli pectus penetrabile noxæ,
Et recti, iuſtiq; tenax, ſeruare ſtudebis
Innocuæ, caſtæq; decus ſine crimine Vitæ

Plus decorat regem virtus, quam fuluus ab auro
Splendor, & inſignis facies heroica forma,
Et genus, & clarus proauiti ſtemmatis ordo.
Quæ tamen ipſa tibi ſimul ornamenta Regenti
Non deerunt : ſed tu virtutem talibus addes,
Quæ Diuum atq; hominum tibi conciliabit amorem
Succeſſumq́; dabit regno, melioraq́; vitæ
Accendet ſtudia in populo, nam plurima virtus
Regis ab exemplo ciues deſcendit in ipſos.
Atq; ideò rabidum ſtimulans iecur atra Cupido
Quæ vel auaritiæ curis flagrantibus vrit
Furtiuæ Veneris turpes aut ſuſcitat ignes,
Sub gyrum rationis eat, captiuaq́; diſcat
Ferre iugum, certosq; intrà conſiſtere fines,
Nec te præcipiti rabie ſuccendat in iram,
Quæ tibi ſanguinei regio ſub pectore cordis
Acribus aſſurget flammis, auidoq́; nocendi
Ingenio, dederis quondam ni frena furenti.
Ergò age pone modum, nec te crudele frementem.
Immemoremq; tui vindictæ feruor & iræ
Abripiat, pœnisq; ferox, & cladibus inſtes,
Inſanoue trabas tibi ſæua pericula motu.
Iuſticiæ ſanè pœnas & præmia dando
Lex immota tibi conſtet : nec ab ordine recto
Iura ſinas prauo ſuaſu detorta reuelli,
Sed neq; prætextu iuris violentius vllus

Deſignes

Deſignes facinus, priuatæ prodigus iræ.
Præſtiterit potius clementer multa benigno
Pectore ſi facias: iuris mollire rigorem
Vtilis & ratio iuſtiſſima ſæpè monebit.
Aßiduè peccant homines, pœnamq; merentur
Et reprobos mores, & plectere crimina vitæ
Si pater omnipotens animo feſtinet anhelo
Iamdudum flammis vltricibus omnia fundo
Eruerit, nullumq; genus mortale ſuperſit.
Sed parcit Chriſtum propter bonus, atq; medendi
Ignoſcit ſtudio, culpasq́; & crimina ſanat.
Huius ab exemplo Rex mitis parcere quondam
Debebit miſeris, ac multa incommoda rerum
Et lenire pia clemens, & tollere dextra,
Augeat immenſo nimium quæ durus aceruo,
Gratia diuini ſic lenior ipſa Parentis
Reſpiciet lenem dominum, fidusq́; ſatelles
Hunc populi ſtipabit amor: quæ milite forti
Excubat, & duro melior cuſtodia ferro.
Atq́; pij Regis caput, & ſacra tecta tuetur,
Pectore nec tantum clemens, & mitis & æquæ
Mentis eris, vultu ſed comis & ore ſereno
Affatu facilis: nec torua fronte miſelli
Supplicis auerſus timidas arceto querelas,
Nec faſtu quenquam dictisq; repelle ſuperbis
Quodq́; potes, placidè largire, quod abnuis, æquo

Pectore, ſedatoq́; grauis ſermone recuſa.
    Poſtremò tibi diues opum ne dextera ceſſet
Auxilio reuelare inopes, & præmia larga
Ferre manu meritis, fas eſt, vt digna laborum
Officio redeat merces, animoq́; fideli.
Nec tibi munifici laudato pectore Cyri
Diſpliceat vox, & virtus, qui pluris habebat
Si quos muneribus largus cumulaſſet opimis
Quàm quas diuitias propria congeſſerat arca.
    Præcipuè pia dona ſcholis, pia munera templis
Conſtitues, Muſasq́; bonus, ſtudiumq́; docentum,
Diſcentumq́; choros pariter ſtipe diuite paſces.
Scilicet ad ſeros, hinc propaganda nepotes,
Relligio ſacris florebit adaucta miniſtris.
Hinc etiam multo Reſpublica ſuſcipit vſu
Inſignes virtute viros, qui fida miniſtrent
Conſilia, & rebus præſint maioribus olim
In regni commune decus, patriæq́; ſalutem.
    Nec tamen hæc adeò Muſis tibi munera ſumtu
Conſtituenda nouo, quàm quæ tribuere benigna
Mitis auus, genitorq́; manu, ſeruanda fauore
Et renouanda tuo, cape facta domeſtica laudi
Ante oculos imitanda tuæ, moremq́; referre
Maiorum pigeat ne te, Generoſe tuorum
Non illi tantum templisq́; ſcholisq́; dediſſent,
Si non vtilitas, & quod decus indè redundat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Omnia magnorum ſuperaret munera Regum.
Tum pallam fulgentem auro, gemmiſq́; coruſcam
Extulit, & ſceptrum pariter, ſacramq́; coronam
Et donum inſignis mali. formoſius vllum
Quo non Heſperidum priſcis adoleuit in oris
Hoc pater ignipotens mali prædiuitis orbe
Æquor Hyperboreum, genteſq́; inſculpſerat auro
Daniacas, Fiones, Scanos, Cimbrumq́; potentem
Et cultum regni precioſæ ſede Selandum
Lolandumq́; ſolo pingui. Fimaræq́; colonum
Telluris, celſoq́; albentem vertice Monam
Et mediò te Huena mari, & te Falſtria tollit,
Quin etiam Gronlande tuas adiêcerat oras.
Noruegûmq́; acres populos, littuſq́; remotum,
Et rigidos montes, quos fert glacialis Hyberne.
En cape dona puer rerum monimenta tuarum
Et quondam patrijs ſuccedens ordine regnis
Illius ingenti veſtigia laude ſequaris.
Dixit, & ex oculis pueri ſublata receſſit
Et gratum abſcedens cum luce reliquit odorem.
Hîc Dea proceſſit, quæ forti robore pectus
Inſtruit, & valida vindex defendere dextra
Hortatur patriam, libertatemq́; ſuorum.
Quæ ſic deindè refert: quamq́; virtutibus iſtis
De quibus admonuit ſacra Clementia voce,
Detrahere haud poſſum quicq̃; cupiouè loquendo,

Oſten-

Oſtendit res ipſa tamen, tutaminis illas
Præſidijq; mei, dextræq; potentis egere,
Quæ tegat imbelles ac fortibus aſſerat armis.
Ergò puer me iunge tibi præſtantibus auſis
Aßiduam comitem, magnoq; interritus aude
Ire animo, victorq; metus contemnere inanes
Ipſa ego Iuſtitiam te propugnare docebo,
Ipſa, ſacras leges, ac relligionis honorem
Nè dubites medio fidens terrore tueri,
Hortatrix adero mentemq; manumq; valentem
Sufficiam, nullis vt dimoueare periclis.
Nec verò cauſæ turpis defenſor iniquæ,
Quiq; latrocinium crudele exercet in armis,
Aut rabido violenta furit ceu bellua rictu,
Irruit, & paßim ſæuus graſſatur in omnes:
Sed mouet officio iuſti quem cauſa doloris
Et Patriæ cui dulcis amor, cui maxima rerum
Relligio, lex atq; fides pia tradidit arma
Me duce fortis erit, palmamq; inſignis habebit
Ac veluti duro fodiens quæ pectora roſtro
Sanguine viuificat teneros auis anxia natos:
Auſpicijs ſic ille meis dum caſtra ſequetur
Pro grege, lege, foco, templis luctatus & aris
Vulneribus pulchris perfundet membra cruore.
Opponetq; acres animos, & firma duello
Pectora, quo paruos tectis educere natos,

Ciuibus ac tutos liceat ſeruare penates.
Sed neq; præcipitat, cauteq; ante arma, tubasq;
Proſpiciet ratione modum, ſi condere pacem
Cæde procul, diri queat ac fera claſsica Martis
Mœnibus à patrijs, tantumq; arcere furorem,
Spargere qui flammas, nudumq; in funera ferrum
Æſtuat, ac fuſum ſorbere immanè cruorem
Sin aliter pacem nequit, & ſua iura tueri,
Tum verò ducente Deo, quem porrigit enſem
Iuſticia & Pietas, fidenti pectore ſumet
Intrepidusq; animi violentum perget in hoſtem.
Omninò celſo quæ pollet pectore virtus,
Ingentiq; animo per ſæua pericula fertur.
Nec mortis terrore labat, nec caſibus vllis
Concutitur, pulchrumq; ante omnia laudis amorem
Iuſtitiamq;, fidemq; ſequens, mortalia temnit.
Regibus inprimis (quanq̃ generoſa virorum
Pectora quæq; decet) ſed multò Regibus altis
Conuenit illa magis : nec mollis fœmina regnis
Præficienda datur, quanquam ſi fœmina regnis
Præfuit, & virtute viros ſuperauit & armis.
(Qualis iura dabat Babylone Semiramis alta,
Qualis & hæc quondam Danorum ſceptra gerebat
Margaris & patriam felici Marte tegebat)
Tunc equidem rari admirans exempla decôris
Quis Numen, viresq; meas non approbet ipſo
Fœmineo in ſexu, plauſumq; ad ſydera tollat?

Quæ

Quò magis ô virtute viros, & Numinis ipſos
Mente mei celſa memores excellere reges
Par fuerit, nec mollitiem, vanumq́ʒ timorem,
Otiaq́ʒ & luxum pulchræ præponere laudi,
Sardanapalus vti laſciuſa mollis in aula
Fœmineosq́ʒ choros, luſusqʒ agitabat inertes,
Excidit & magno non vir ſed fœmina regno,
Quando animum vitijs infregerat ipſe virilem.
Degeneres animos pecora inter inertia tali
Ducere more iuuet turpem ſine nomine vitam,
Nil durum, nil triſte ſequi, ſed cuncta pauere
Ardua, deſidia ventrem curare ſupinum,
Atqʒ voluptatis metiri ſingula guſtu.
At mens, & ratio celſi diuina vigoris
Admonitrix, dum ritè decus ſecteris honeſti
Fortia dumq́ʒ geras, & palma digna virenti
Omnia ſub pedibus tibi ſternet, & vtile quamuis
Quamuis dulce tibi ſpecie obuerſetur inani,
Longè alio cura dudum meliore vocabit.
Nec vanos horrere metus, nec cedere rebus
Aduerſis, ipſamqʒ adeò contemnere vitam
Egregio effuſam pro laudis amore iubebit.
Omnia ſunt hominum fluxis ſubiecta ruinis
Sola tenet celſum virtutis gloria culmen
Caſibus haud vllis, aut deijcienda periclis
Huc quæcunqʒ virûm vis enitatur oportet,

Non

Non molli pluma, ſed duro calle terendo.
Nec tibi luxuries, mollisq; ignauia palmam
Pectore ſed forti ſudorq; laborq; parabunt.
Præcipuè qui ſumma tenent faſtigia Reges
Præpoſiti latè populis, atq; vrbibus amplis,
Antè alios tantam memores ſub pectore curam,
Et molem rerum debent verſare ſuarum
Credere nec luxu, pompæq; in munus inanis
Tradita, ſed duro ſibi regna tuenda labore.
Idcircò nil ſegne animo, nil molle volutent
Sceptrigeri Heröes, vigilent & robur, & omnem
Huc vim deinde ferant, vitamq; animamq; profundant.
Si fors dura vocet, Patriæ ſeruare ſalutem
Quò ſtudeant, ciuesq; ſuos, & iura tueri
Maximus ipſorum curæ quæ Rector Olympi
Credidit, & partem diuini induſsit honoris.
Sic placitum Superis: hæc hæc exempla relinquit,
Æternq; Patris ſoboles æterna ſacrauit
Atq; ſuas ſeruauit oues, & ſanguine Chriſtus
Aſſeruit ſacri vindex, & paſtor ouilis.
Paſtores etiam dulci ſunt nomine Reges
Atq; Patres Patriæ, vatum ceu carmina dictant.
Ergò ſuum ſeruare gregem, ſua cara tueri
Pignora, vel fuſo conſtanter ſanguine certent
Intrepidumq; lupis opponant pectus, & arma
Hoſtibus excutiant, clypeiq; Vmbone repellant,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Quem mens alta dabit, nulloq́; euicta pauore.
Regia mens ſi fortis adeſt, ſi robore pollet
Agmina ductor agens animoſi more leonis,
Quamuis imbellis miles, ſimilisq́; fugaci
Viſus erit ceruo, tamen ipſa exempla ſecutus
Magnanimiq́; Ducis ſtimulos, ardebit in iras
Protinus, ac timidi mutato pectore cerui.
Induet audacem generoſo corde leonem.
At ceruus ſi ductor adeſt, & pectore princeps
It timido, mußatq́; animum deiectus & ora,
Ipſa cadet forti præſtans in milite Virtus,
Langueſcentq́; manus & corda animoſa leonum.
Ergò quid in tantis vitæ, rerumq́; periclis
Rex vacuus virtutis aget? quo Marte cauebit?
Ne ſint hoſtili male peruia regna rapinæ
Non tot concußum fremit atris fluctib. æquor,
Non tot feruentes pelago voluuntur arenæ:
Quot clades inſtant & quanta pericula regnis,
Quæ Rex imbellis, timidusq́; eneruat & excors,
Ne quicquam in nugis ducens puerilibus æuum.
Tu cum triſtis agros acies complerit, & acer
Irruat in prædam, ferro graßetur & igni
Hoſtis, & afflicti plorent ſua damna coloni,
Plorent & miſeræ matres, teneræq́; puellæ:
Degeneres inter fucos ignaua per aulam
Otia ages, ſomnoq́; (nefas) ludoq́; vacabis?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Quid cum vicinos iniuria ſæua Tyranni
Opprimit, & querulo nequicquam pectore dextram
Vindicis implorant, ea nil te cura quietum
Sollicitat? poterisq́ malis dormire clientum?
Nec cernis, quæ deinde tibi diſcrimina reſtent?
Hæc res Chriſticolûm turpi ſocordia luxu
Perdidit, & fortis dum ceſſat dextera regum,
Plurima Threicio ſubiecit regna Tyranno.
Nec tot per populos victor volitaſſet, & vrbes,
Imperiumq́ ſuum terris auxiſſet opimis,
Si procul excuſſo torpore metuq́ tuliſſet
Tela manu, contra Libyæq́ Aſiæq́ tyrannum,
Europæq́ ferum prædonem, viuida Virtus
Chriſticolûm iunctis concordi robore neruis.
Regibus at quondam, Ducibusq́ in bella paratis
Mos fuit, externas procul arma mouere per oras
Quærere longinquis ſceleratum in ſedibus hoſtem,
Et quod Chriſticolis raptum prædator habebat
Exturbare ſolo profugum, telisq́ ſubactum.
Sic Solymas arces, Aſiamq́, amiſſaq́ bello
Regna Palæſtinæ felici Marte recepit
Dux Bilionæus Lotharingæ gloria gentis
Atq́ Sacracenis longè, Turcisq́ repreſſis
Condidit imperium peregrinis victor in oris,
Tot maria & terras transgreſſus Martius heros.
Sic Cilicum medias penetrans Fridericus in oras

Terruit Ægypti dominum, trepidusq́; refugit
Fractus ab inuicti Saladinus Cæſaris armis.
Et fors tum finis regnorum, ac meta fuiſſet
Infidæ genti, cecidiſſetq́; eruta fundo:
Optimus in medio victricia prælia curſu
Dum gerit, extinctus fatis niſi Cæſar iniquis
Armeniæ vitam gelido liquiſſet in amne.
Talibus Heroum ſtudijs Reſpublica Chriſti
Tunc munita fuit, nunc languet maſcula Virtus,
Deq́; coërcendis mens nulli ſeria Turcis.
Illi armis in regna ruunt, ô degener æuum
O verſi mores, ô perdita tempora luxu.
O funeſta faces populis quæ ſpargis Erinnys:
Quæ facis, vt vertant in mutua vulnera ferrum
Chriſticolæ, & demens porrò diſcordia carpat,
Quicquid virtutis ſupereſt, animiq́; virilis.
Tu verò generoſe puer, tu Numine noſtro
Ingredere, & meditare animis & concipe vires
Iamdudum Danis, & auito ſanguine dignas,
Inclyta ſuccurrant tibi priſcæ nomina famæ,
Et iam Thermopylas, & iam percurre Platæas
Iam Marathon, Salaminq́; tibi, iam Leuctra cruenta
Occurrant, Graiosq́; virûm cognoſce labores.
Heroes etiam, bellatoresq́; Quiritum
Marcellos, Paulos, Fabios, acresq́; Metellos,
Nec non Scipiadas gemini duo fulmina belli,

Innume-

Innumerosq́; alios, quorum Mauortia virtus
Emicuit, memori perluſtrans corde teneto.
Plus tamen egregium Martem, ſacrosq́; labores
Et palmam venerare Ducum, qui fortia bella
Auſpicio geſſere Dei, non enſe nec armis
Confiſi tantùm, precibus quàm ritè profuſis
Ætherio Regi, diuinum cuius honorem,
Et populum verbi cuſtodem, & ſacra tegebant.
Talis erat Gideon, ſacratis talis in armis
Magnanimus Nunides, plectroq́; decorus, & acri
Militia præſtans Ieſſææ ſtirpis alumnus
Quid te Ioſia memorem, quid te optime Regum
O Ioſapha, ſuperiq́; patris fidiſſime cultor?
An Conſtantini pietas, geminiq́; latêre
Arma Theodoſij poſſunt diuina ferentes?
Carolus aut Francûm de ſanguine maximus heros:
Cui debellatas Chriſto ſubiungere gentes
Primus amor, mercesq́; pijs erat vnica bellis.
Taliæ ductorum ſacra per veſtigia mentem
Relligione ferens, bello cole Numina Chriſti
Inprimis, illumq́; Ducem tibi iungere bello
Optabis ſi ſint aliquando bella gerenda
Quanq́; dum liceat, potius cole pacis amorem.
Odi ego, qui noſtro ſub nomine fortis haberi
Laudariq́; cupit, cum vel temerarius audax
Improba bella ferit, vel non ſat prouidus illis

Præcipitat fluxas in aperta pericula vires.
Vt qui luctificas Romano ſanguine Cannas
Imbuit, aut triſtes Traſimenis cladibus vndas.
Quò magis in bello pietas quæretur & armis,
Ni cauſæ momenta tubent, ni Numina Chriſti
Iunxeris auſpicio, tentes quæcunq; relabi
Ah miſer in peius cernes, atq; irrita ferri.
Nec minus illa tuas firmet ſolertia vires
Noſſe Ducum, peperit quas vſus callidus, artes
Caſtrorum ſeruare locum, poſitumq; ſalubrem
Addere cuſtodes vallo, vigilemq; cateruam
Quo cuneos denſare modo, quo tendere latè
Cornua conueniat, quo tenſa reducere flexu
Qua melius plano, qua per iuga deuia montis
Arte ſtruas aciem, quas curua valle latebras
Præripias fraudi: quis mœnia quaſſet & arces
Impetus, aut aditu quo ſint capienda periti
Militis, hoſtiles audet qui ſcandere muros.
Hæc & præterea ſi Martia multa tenebris,
Optatam tibi ſæpè ferent ſtratagemata palmam.
Ergò quicquid erit, ſeu te defendere ciues
Et patriam triſti coget ſors improba bello,
Aut ope vicinos, preſſoſq; leuare clientes:
Seu qua tibi durum grauior iactura dolorem
Mouerit, vt iuſtus vindex erepta repoſcas:
Siue aliqui ſcelerum pœnam meruere rebelles

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Accendetq́ tuum petulans iniuria Martem
Nequitiæ ſtimulis, & ſeditione furentum:
Numina noſtra ſequens age fas conſtanter & æquum
Aſſere: cum Chriſto, pietate & fortibus armis
Ipſa ego te præſens medio in diſcrimine ducam.
Nec minus ipſa, toro dices cum iura ſeuero,
Iuſtitiæq́ reges, Patriæq́ togatus habenas,
Efficiam celſa te Maieſtate verendum.
Neu prece, vel pretio te mollis gratia flectat
Aut metus vllius trux atq́ potentia frangat,
Contemtorem animum, rectiq́ boniq́ tenacem
Ipſa dabo: nunq́, duce me, terrebere ficta
Damnorum ſpecie, & vanæ formidinis vmbra.
His dictis, galeam criſtis, auroq́ micantem
Ferre dedit puero, fuluum ſimul addidit enſem
Et clypeum, depicta virûm quo bellica ſigna
Et res Danorum, monimentaq́ priſca nitebant.
Cernere erat tetricos, & ſtantes ordine primo
Humblum, & deiectum miſerando funere Gramum,
Haddingumq́ dolo, dextraq́ vltrice potentem
Et toruum vultu Frotonem, acremq́ Fridleuum.
Atq́ alios quorum Latio ſermone referre
Nomina vix liceat. poſt cultu mitior ætas
Et pietate ſubit. magnus qua parte Canutus
Et triplici inſignis ſceptro, primamq́ ferebat
Valdemarus Martis præſtanti laude coronam

Nec te parte loci pulcherrima Margaris iſta
Diſsimulem : magnoq; Heroum miſta labori.
Tu quoq; præclaram meritis geris inclyta palmam.
Tertia conſequitur ſeries à ſanguine gentis
Holſacidûm, primusq; adeò iam nomine fauſto
Res Chriſternus adeſt, opibus prædiues & armis
Primus & hic mentis Fridericus iungitur altæ
Robore, proceroq; viros ſupereminet omnes
Corpore, iuſticiaq; grauis ſedare tumultus
Incipit, & regno tranquillam reddere pacem
Nec minor hinc præſtantis aui ſe gloria tollit
Atq; tui Virtus, puer ô generoſe, Parentis.
Ardet vtroq; vigor, vultusq; animusq; ſerenus
Et par magnanimis facies heroica factis.
Quæ poſtq̃ puero Dea tradidit, accipe dixit,
Quam modò luſtrabas, picturæ accommoda ſigna,
Et monimenta tuæ. Danorum ſemper honorem,
Illuſtresq; tuæ felix ſic ſtemmata gentis,
Sis bonus, & clemens, ſis iuſtis fortis in armis,
Hæc te ſidereo Virtus attollet Olympo,
Dixit, & ipſa ſimul celſum repetiuit Olympum.

Hodæpori

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

HODOEPORICON ITINERIS Danici.

QVi regis imperio fortes Rex inclyte Cimbros,
Arctoæq; premis legibus æquor aquæ,
Ad te ſuſpicio timida FRIDERICE Camœna:
Et ſupplex vultus quæro ſubire tuos.
Dum me viſa tuis cantu iuuat edere regnis,
Quæq; vel auſpicio ſunt modò geſta tuo:
Dum luſtras teneram ſacro Baptiſmate Natam,
Et ſocias celſos ad tua facta Duces.
Vel quæ præterea cognoſcere digna relatu
Hæc me deductum per loca fecit iter.
Ergo faue, placiduſq; meis precor, annue cœptis:
Et rege me laudis per monumenta tuæ.
Sic tua progenies, & floreat inclyta coniunx
Paxq; ſit in regnis relligioq; tuis.
Et Deus in regum laudandus honoribus, omni
Te cumulans æuo laudis honore beet.

EST locus, extrema fines vbi terminat ora
Holſatiæ ſyluis, terraq; diues agris,
Iutia ſuccedit forti celeberrima Cimbro,
Quæ pars eſt regni Dania magna tui.
Hic Coldinga iacet Nymphis dilecta marinis
Magnanimi Cimbrûm Regis & amplà domus.

Præbuit hæc teneræ cunabula dulcia Natæ,
Quam partu quintam Regia nupta dedit.
Iam ter quinq; ierant à nato ſecula Chriſto,
Et curſum implerant luſtra bis octo ſuum.
Quartus ab Aprilis Nonis cum vexit Olympo
Purpureum læto Cynthius axe diem.
Ille tulit fauſtum pignus Natalis in auras,
Atq; nouo Sophiæ proſper honore fuit.
Tunc Rex ipſe pater, tunc omnis Dania plauſum
Edidit, & Nereus, Nereidumq; chorus.
Iamq; piæ ſurgunt Genitoris pectore curæ,
Et Natam Chriſto ritè dicare parat.
Vt luſtrata ſacri lymphis, & Numine fontis,
Abluat antiquæ pectore labis onus.
Pignus & æternæ, cœleſtia iura, ſalutis
Accipiat ſuperis aſſociata choris.
Deligitur veneranda dies quæ tertia Faſtis
A Zachariadæ nomine vatis adeſt:
Hanc fore, quæ feſtæ peragat ſolennia pompæ,
Quaq; puella ſacris purificetur aquis.
Omen ineſt: fauſto Baptiſtæ nomine Vatis
Ad ſacra Baptiſmi ducimur, omen ineſt.
Ergò volat paßim magni vox nuncia Regis,
Et vocat illuſtres ad ſua ſacra Duces.
Enſiferum primùm, cui Myſus paret Eliſter
Et pater Aonia nobilis Albis aqua.

Hinc

Hinc te, cui Viadri ſpumant vada, Iane Georgi,
Amplaq; Marchiaci qui regis arua ſoli.
Sed vos magnarum tenuere negocia rerum:
Nec licuit patrio tàm procul ire ſolo.
Sunt tamen à vobis inſigni nomine miſſi,
Qui placidè veſtras hîc ſubiere vices.
Ipſe ſed antiquis Francûm de collibus Heros
Venit ouans forti pectore, ſorte potens.
Diues Onolzbacchum patrio qui iure gubernat
Plasburgiq; arces, & iuga celſa tenet.
Aurea quem ſequitur, Pyrgi de ſtemmate Lunæ,
Purpureis coniunx conſpicienda genis
Corpore procero, pulchro venerabilis ore,
Quis lepidus Princeps ille ſed alter erat?
Temperat is Bremæ ſacratas præſul habenas,
Saxonicæ floret ſtirps generoſa domus,
Pinguia Veſtphaliæ contermina rura colonis,
Angriuiumq; tenet quæ ditione ſolum.
Te quoq;, germani qui Regis amore, Iohannes
Holſatiæ, gaudes, dux generoſe, tuæ:
Vidimus inſignem medio procedere cœtu
Et decus ex oculis dulce micare tuis.
Adfuit & celebri Badenſis Marchio pompæ,
Quem tulit Hercynijs nobilis ora iugis
Adde tot inſignes Comites, & laudis auitæ.
Stemmate florentum lumina certa virûm.

 Quo-

Quorum ego ſi iuſtas coner deſcribere laudes
Pro meritis tantos ac celebrare viros:
Immenſum pelagus mea Muſa ſubibit, & altas
Ingrediar longis tractibus Iliados.
Sed propiora ſequar, quo me Pomerania dudum
Et pius in Gryphum ſtemmata raptat amor.
Quippè Sidinorum celſam qui iura per vrbem,
Ad Viadri Ianus dat Fridericus aquas:
Eximio Regis quò grataretur amori,
A quo pars pompæ cara vocatus erat:
Ipſe ſuo miſit Barnimum nomine fratrem
Egregium vultu, corpore, mente Ducem.
Hunc ego quò ſequerer, Ludouici fratris ab aula,
Gryphica quo Domino ſtat ſchola miſſus eram,
Nec mora digreſſus Volgaſti mœnibus almis
Corripui celeres lata per arua vias,
Veſpere perueni veteris ſub tecta Domini,
Cum Trebelo Panus, quæq; Tolenſa rigat.
Optimus hîc Princeps exegit tempora noctis,
Et fouit ſomno corpora feſſa breui.
Vix aurora polo tenues dimouerat vmbras,
Phœbus & Eois aſtra fugârat equis.
Rurſus iter, rapidiq; volans petit arua quadrigis
Pulueris æſtiui languida penè ſiti.
Vrbs iacet ad ripas, & amœni flumina Varni,
Idalijs clarum nomen adepta roſis.

Educat hîc niueos Phœbo ſacer amnis olores:
Caſtalidum flores, ſertaq́; fundit humus.
Exercentq́; choros in molli graminis herba,
Atq́; ſonat Clarijs docta per antra modis.
His, labente die, ſucceßit mœnibus hoſpes:
Hîc data ſunt lautæ munera grata dapis.
Principis aduentum donis, & honore Senatus
Comiter excipiens, mite peregit opus,
Iamq́; dies, alterq́; dies proceßit, & omnes
Proluimus dulci pectora læta mero.
Excitat è ſtratis & ſummo mane ſeuerus
Tibicen rauco ſigna dat ære viæ.
Ingredimur rurſus lati ſola feruida campi,
Atq́; iter inſtructis continuamus equis.
Iamq́; vbi contigimus ſpecioſo mœnia cultu,
Vismariam canis quà mare lambit aquis.
Ductus honorificam Princeps diuertit in aulam
Sumptibus Alberti quæ reparata nitet.
Qui dux munificus quondam Megalepolis oræ
Pierias magno fouit amore Deas.
At ſocijs ciues, paßim per tecta receptis,
Hoſpitio præbent commoda dona ſuo.
Sol redit, & noſtri prima cum luce labores
In noua nos, iunctis curribus, arua vocant.
Grypsmylio primùm ſuſcepti tecta ſubimus,
Dantur vbi facili prandia læta manu.

Principis Vlrici coniunx hæc poßidet arua
 Munera pro uidui ſorte futura tori.
Poſtmodò turritæ peruenimus ampla Lubecæ
 Mœnia, quæ ratibus cincte Trauenna colis.
Hic quoq́; muneribus certat de more Senatus,
 Exceptoq́; ſuas Principe mittit opes.
Atria complentur ſtrepitu, fidibusq́; canoris
 Noxq́; fluit multo, cœnaq́; larga mero.
Indè ſequente die non mox excedimus vrbe,
 Prandia ſed poſita ſumimus antè dape.
Iam Sol Heſperias currum torquebat ad oras,
 Actaq́; pars longæ maxima lucis erat.
Cum vicina breui petitur Reinfeldia curſu,
 Sacra Patrum quondam relligione domus.
Qua centum pingues Monachi ſua luſtra tenebant,
 Et precis incertæ murmura vana dabant.
Nunc ea Præpoſito pâret, qui diligit artes
 Ingenuas, Chriſti puraq́; ſacra fouet.
Is, nos vt victu lætos tractaret opimo,
 Hoſpitis in curas officioſus erat.
Iamq́; erat orta dies, Domini quem nomine ſignant
 Chriſticolæ, tumulo reddidit illa Deum.
Surgimus è ſtratis, & templa vetuſta ſubimus,
 Doctus vbi præco cœlica verba canit.
Hinc nos excipiunt placidæ conuiuia menſæ,
 Ducitur & molli feſta quiete dies.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Manè iter ingreſsi ſyluas penetramus opacas
Tritaq́; ſtridenti ſcrupea ſaxa rota.
Apparent celſis Segebergi collibus arces,
Quas vecti rapidis præter abimus equis.
Hîc nos belligero ter triſtis more ſalutat
Machina, terriſonos eiaculata globos.
Culmina iam Phœbus medij ſcandebat Olympi
Cum nos hoſpitij tecta ſubire iuuat.
Manſimus oppidulo, veteris cui nomina Mynſtri,
Incola Teutonico nomine turba dedit.
Altera Rensburgi nos lux ad mœnia ducit
Parua quidem, ſed quæ muniat ipſe locus:
Atq́; graui vallo, denſisq́; erectus arenis
Qui circumfuſis, imminet agger aquis.
His Dux Holſatiæ ſenior dat iura Iohannes
Ciuibus, & tutas pace gubernat opes.
Illius auſpicio, iuſſuq́; benigna miniſtrant
Hoſpitij nobis munera quisq́; ſui.
Ergò vbi longa dies, & nox hîc omnis abacta eſt
Diximus Eoo ſydere dulce Vale.
Hinc per arenoſum via nos trahit inuia campum
Nubibus obſcurum ſole tegente diem
Sed facilis penetrare labor: quia dulcia noctis
Hoſpitia aduerſæ ſunt medicina viæ,
Veſpere Sleſuici claras acceſsimus arces,
Quas Dux imperio celſus Adolphus habet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Magnanimus Princeps belloq; probatus & armis,
Pace ſimul Muſas cum pietate colit.
Fertur ab aucupio Cæſar qui nomen habebat
Henricus fines hoc ſtatuiſſe ſolo.
Ac poſuiſſe Ducem, cuſtos qui limitis eſſet
Inter Teutoniæ, Danigenumq; lares.
Nunc opus eſt cuſtode nihil, nec limite tali
Aut interiectis res dirimatur aquis.
Holſatiam Danis cognato ſanguine iunxit,
Qui precor vt ſtabili pace perennet, amor.
Abſit & infelix Ate, quæ pectora turbat
Heroum, & lites & mala bella ſerit.
Protinus has igitur ſimul ac peruenimus arces,
Et Dux, inſignem conſtitit ante Ducem:
Barnimum dextra complexus Adolphus amica,
Hoſpitis ardebat lætus amore pij.
Nec mora, regifico fiunt conuiuia luxu:
Feruida feſtiuis perſtrepit aula modis.
Copia ſtat dulcis Bacchi, pinguisq; ferinæ:
Quisq; bibit ſocio pocula grata ſuo.
Ipſe pater fuluo cratere ſalutat Adolphus
Barnimum, geminans ter pia vota, ſuum.
Dania quo ſoſpes, bona ſit Pomerania ſoſpes,
Holſatiæ ſoſpes ſit quoq; celſa domus.
Multaq; colloquio miſcent iucunda diſerta
Qualia prudenti fas fuit ore loqui.

Hac

Hac vice perfuncti ſomno poſt corpora mandant,
Et breuis eſt aula facta ſilente quies.
Manè receſſurus miti Barnimus Adolpho
Ceu decet, vſq; tui iàm memor, inquit, ero.
Quiſq; ſalutatis ſocijs tùm lætus abiuit,
Ducit in antiquum quà via prima nemus.
Conſurgunt longis hic fagus & ardua quercus
Ordinibus: Fauni luſtra feræq; colunt.
Parte alia præbent piſcoſas ſtagna lacunas,
Parte alia pecori pabula præbet humus.
Hoc nemus emenſi Flensburgia tecta ſubimus,
Diuite quæ portu mercibus apta patent.
Et circumiectis vicino vertice ſyluis,
Fertilis ac gaudent commoditate ſoli.
Ædibus hîc lautis nos ſedulus accipit hoſpes,
Nec Ceres, aut dulci munere Bacchus abeſt.
Corpora curati victu, ſomnoq; leuati
Poſtera, progredimur, quo vocat orta dies.
Sic & Haderslebij pulchras accedimus arces,
Quas habet irriguis vallis amœna vadis.
Hæc vox Teutonica ſi nomen origine quæras
Diſcordis vitæ iurgia ſæua notat.
Gratia Dijs ſuperis: noſtro res exulat æuo,
Triſte nec infauſti nominis omen adeſt.
Hîc ſenior nam diues opum, dulciq; Ioannes
Pace fruens, Patriæ temporat arua ſuæ.

Optimus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Optimus hic Princeps, & ſeruantiſſimus æqui,
Et fertur Patriæ ceu pater eſſe ſuæ.
Et colit hic magnum Danorum Regis amorem
Nec minus hunc dulci Rex pietate colit.
Hunc quoq́, Barnimus ſtudijs, & mente benigna
Hoſpitibus faciles ſenſit habere manus.
Et benè tractati placida dimittitur aula,
Quò nos Sole nouo proxima meta vocat.
Quæ tamen hîc ſtridens nocturno carmine bubo
Obſtrepit, & tectis omina dira canit?
Qualia ventoſo fremuerunt murmura ponto?
Pallidior ſolito quid fuit aura poli?
Qualia vel Dryadum ſyluas lamenta per altas
Faunorumq́ graui ſunt vlulata ſono?
Fallor? an hæc triſtem portendunt omina luctum
Et placidi nimium fata propinqua Ducis?
Chriſte precor caſus Patriæ depelle ſiniſtros,
Et procul infauſti nominis omen agas.
Atq́ vtinam Pylios queat ſuper eſſeper annos
Optimus & longa viuere pace ſenex.
Sin manet hunc ſuprema dies, at tempore triſti
Tu precor orbati rura tuere ſoli.
Vt pax optatam poſſit proferre quietem
Incolumi patriæ qui fuit antè ſtatu.
Intereà ſyluis, & crebris æquora iuxtà
Collibus, ac ſalebris acre tenemus iter:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Cum Coldinga caput medijs ſuſtollit in aruis,
Pandit & excelſæ regia tecta domus.
Huc vbi delati portis intramus amicis,
Ingreſſus Bremæ vix modò Præſul erat.
Quiq; alij ſerie nos præceßere viarum,
Et pars conuentus pulchra fuere noui.
Omnibus exceptis multo Rex lætus honore
Diſtribui ſedes tecta per ampla iubet:
Et proferre dapes, & ponere dona Lyæi,
Quò releuent longæ tædia dura viæ.
Poſtera lux oritur magno ſolennis honori,
Et delubra nouo culta decôre patent.
Explicat hic ſacras leges & iura ſacerdos,
Et docet æterni verba fidemq; Dei.
Regia progenies, quo mox ſermone peracto,
Infertur, longo concomitante choro.
Faſcia purpureo teneram circundat amictu,
Intextusq; auro diuite fulget honos.
Heroës circùm linguis animisq; fauentes,
Et procerum pronis mentibus agmen adeſt.
Concipiuntq; preces, & publica vota frequentant,
Vt ſacrum dextro Numine fiat opus.
Ergò Parente Deo, Chriſtoq;, & Flamine ſancto,
Lympha ſalutari mota vigore fluit.
Albuitur teneros ter Regia Nata per artus
Sanguinis arcano flumine Chriſte tui.

Et Pater huic ſuperas placabilis annuit arces,
Aurea qui nutu temperat aſtra ſuo.
Et ſacer hanc circùm ſuaui complectitur aura,
Spiritus ac gremio confouet ipſe ſuo.
Salue cara Deo, regniſq́; Auguſta futuris
Incipe iam vitæ proſperioris iter.
Poſtq̃; Baptiſmi legem ſacra pompa peregit,
Et tacitum templo iam retulere pedem:
Protinus en nitidis in ſtructa palatia menſis,
Et vocat ad lætas regia cura dapes.
Iamq; tubæ, lituiq́; ſonant, & Martia murmur
Tympana dant raucis voce boante ſonis.
Conueniunt, mediiſq́; viri penetralibus aulæ
Ordine monſtratis accubuere locis.
Adſunt & gemmis comtæq́; Heroides auro,
Quæ valeant ipſas ore referre Deas.
Ornatu inſigni domus, aulæiſq́; ſuperbis
Et vario pictæ veſtis honore nitet.
Aſtant argento, ſolido cratêres & auro
Pars noua, pars veterum ſplendida gaza Patrum.
Egregij iuuenes, oſtroq; auroq; decôri
Ritè gerunt prompta munera iuſſa manu.
Hi dapibus menſas onerant, hi plena reponunt,
Aut implent dulci pocula ſicca mero.
Intereà ſeruent cantu, fidibuſq́; canoris
Atria, blandiſonum dat chelys apta melos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Dicitur & vates, quem glaucus in æquore Triton
Erudyt, tales accinuiſſe modos:
Inclyte Rex, fortes quo gaudent ſoſpite Cimbri,
Quem gens Fioniæ, quemq́ Selandus amat.
Quem diuiſus amat toto procul æquore Scanus,
Noruegum paret cui ſimul acre genus.
Quis te fœlicem neget æquo Numine Diûûm?
Tot bona cui lætæ munere ſortis eunt.
Quid genus, & ductas ab auito ſtemmate laudes,
Quid memorem magni fortia facta patris?
Quid decus, & magni tot opes, ac munera regni,
Aut memorem dextræ fortia facta tuæ?
Iſta ferant olim victuro carmine Vates,
Grandia Mœonio qui pede bella canent.
Me nomen Friderice tuum, me dulcia pacis
Munera, me Muſæ, Relligioq́ iuuant.
Hæc bona te noſtris ſeruat Deus auſpice regnis,
Et maris, & terræ pace tueris opes.
Peruia ſecuri quòd ſulcant æquora nautæ
Quòdq́ natat tutis vncta carina vadis:
Munus id eſt Friderice tuum, tu quippe latrones
Infeſtiq́ domas triſtia monſtra maris.
Blanda ſerenatis quòd conſtant otia regnis
Quòdq́ vigent placidæ ruris & vrbis opes:
Munus id eſt Friderice tuum tu feruida bella
Martis & irati triſte repelliſ opus.

Adde, quòd ingenuas Muſarum protegis artes
  Et tribuis doctis præmia larga viris.
Adde, quòd & templis purum defendis honorem
  Synceræq́; foues relligionis opus.
Pro quibus officijs te cœlo gloria tollet,
  Gloria non vllo deperitura die.
Quid, quo iuſticiæ ſtudio, quid, mitis & æquus
  Clementi referas pectore quale decus?
Scilicet hoc notum communi gentis amore,
  Quæ te ceu placidum iactat vbiq́; patrem.
Et tibi, ſeu libeat tumidas dare vela per vndas,
  Somnos in media carpere puppe licet.
Seu tellure iuuet per rura, nemusq́; vagari,
  Sub quauis recubans arbore tutus eris.
Tanta fides populi, ſic Regis amore tenentur
  Omnes, & ſaluum te ſupereſſe volunt.
Nunc ago ſed vitæ quæ dos Regina beatæ
  Caſta tuo coniunx eſt ſociata thoro?
Hæc Sophiæ nomen, decus immortale pudoris,
  Et face ſuccenſum cor pietatis habet.
Hæc ſuperans lætas generoſo palmite Vites,
  Ornat prole tuum, delitijsq́; torum.
Quòdq́; adeò patrijs felix ſit & vtile terris,
  Et generi ſemper dulce bonumq́; tuo:
Aurea nunc quinto cumulans tibi pignora partu
  Floridulæ rurſus virginis ora dedit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Cuius in exortu faciles riſere Napææ,
Plauſit & æquoreo Dania cincta mari,
Cuius in augurium ſacrati fontis ad vndas,
Heroum vênit tam procul iſte chorus.
Felix ô regni facies, cui talia ſurgunt
Pignora, ter felix Regis & ipſa domus.
Creſcite florentes animæ, de nomine Chriſti
Tu qui fers patrij nobile nomen aui.
Tuq́ꝫ Vlrice, geris pariter qui ſydere fauſto
Materni placidum nomen & omen aui
Fallor? an hoc Patriæ nunc publica vota precatur
Certaq́ꝫ res votis adferret ipſa fidem?
Tertius vt ſurgat mox hinc Fridericus in auras,
Qui referat magni nomina clara Patris.
Creſcite florentes animæ; vos regna, decusq́ꝫ
Vos Virtus ſuperas tollat ad usq́ꝫ domos.
Nunc quoq́ꝫ vernanti felix adoleſcit in æuo
Eliſabetha auiæ nomine dicta ſuæ.
Nec minus Anna nouum ſurgit tibi Dania Sydus,
Anna verecundas tincta pudore genas.
Tertia de ſacris, quid, qui modò prodijt vndis
Nomen ab augurio nobile nacta bono?
Creſcite florentes animæ, vos aureus ornet
Et pudor. & caſti regia iura tori.
Tu verò tu magne Parens, tuaq́ꝫ inclyta coniunx
Progeniem, & fauſta ſceptra fouete manu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Et vos vnanimes felix concordia rerum,
    Ac ſeruet ſtabili gloria celſa domo.
Talia dulciſono cantabat carmine Vates
    Et pia pro Regis vota ſalute dabat.
Nec non Heroum ſtudium laudabat, & vltrò
    Susceptas cari Regis amore vias.
Vobis ſemper erit dulci coniunctus amore,
    Officij ſemper Rex memor huius erit.
At reditus veſtros, totiusq́ ordine vitæ,
    Dux, pater omnipotens, omne ſecundet iter.
Sic exacta dies, feſto per gaudia ritu,
    Sera quieſcendi tempora nocte dedit.
Quæ ſequitur, pugilum vidit lux dura labores,
    Et data per varias vulnera multa vices.
Quis tamen ille fuit, qui lumine caſſus abiuit
    Neſcio, ni fallor, ſed veteranus erat.
Parcite pugnaces animæ, tàm turpia veſtris,
    Incaſſum ludo, vulnera ferre genis.
Sed Mars incertis male fidus oberrat in armis,
    Miſcet & infauſto triſtia ſæpe ioco.
Fortibus heu metuenda viris ſors iſta laborum eſt,
    Pòſt palmas ſubeat triſtis vt vna dies:
Vulnera, qua, crebris aſperſa labe trophæis,
    Seu referant duræ funera mœſta necis.
Sic Amycus dextra cecidit Pollucis, & alta
    Herculeæ dextræ vi ſuperatus Eryx.

Sic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Sic Hama (ſi veterum faſtis hæc credere fas eſt)
Starcateri victum perdidit enſe caput:
Cuius & aſſeruit ius auſpiciumq́; duello,
Saxonis vrbs, nomen contulit ampla tibi.
Tertia læta dies varios ciet ordine ludos,
Et iacit igniuomis tela coruſca globis.
Vidimus & tædas celebrari ritè iugales
Et ſua purpureus feſta parabat Hymen.
Gutzlauius, celebris Pomeranis ſponſus ab oris,
Quem tulit antiqua ſtirpe Budena domus:
Pulchraq́; Schinkeliæ gentis de ſanguine virgo,
Connubio ſacri ius pepigere tori.
Ille pio Regi virtute fideq́; probatus
Caraq́; Reginæ ſponſa pudica fuit.
Auſpicijs igitur iuncti regalibus ambo
Heroum præſens ſic meruere decus.
Omnes hic lætis aderant qui vultibus, omnes
Egerunt choreis læticiaq́; diem.
Sic Peleus Thetidi cumſe coniunxit amatæ,
Præſentes fertur tunc habuiſſe Deos.
Numina nec nobis (concedat fabula uero)
Cum Patre progenies defuit alma Dei.
Vtq́; probat ſemper thalami pia fœdera Chriſtus,
His quoq́; ſic caſtum ſancijt ipſe torum.
Ergò ita læticia conſumtis quinq́; diebus
Barnimus patrias poſcit abire domos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Regis honorificis donis. & amore potitus,
Ingreditur ſexta luce ſerenus iter.
Sed non & cœli pariter nos aura ſereni
Excipit, obſcuris nubibus imber adeſt.
Spargimur aſsiduo pluuialis flumine lymphæ,
Ora genæq́ fluunt, ſparſaq́ veſtis aqua.
Atq́ aliquis vino pariter madefactus & imbri,
Naiadibus, dixit, iam bonus hoſpes ero.
Venimus oppidulum, traiecta nomen ab vnda
Quod tenet: vnda illo traijcienda loco eſt.
Iutia quæ Fionum diſterminat arua colonis
Munere Naturæ limes vtriq́ ſolo.
Hîc laſſos madidosq́ foco calfecimus artus,
Cœna breuis, dulcis nos iuuat indè quies.
Poſtera lux oritur: denſis nemora ardua fagis,
Fioniæ lætos & peragramus agros.
Veſpere defeſſos Ottonia ſede recepit,
Qua res acta grauis, magnaq́ nuper erat.
Concilio Rex hîc habito nam flexerat altas
Holſatiæ gentes, libera corda virûm:
Fœdere quò certo regni ſub iura venirent,
Accepta ſtabili lege, dataq́ fide.
Nec tamen hoc perijt libertas aurea facto
Holſatiæ gentes, ſit procul iſte metus.
Expedit hoc vobis, virtusq́ & gloria maior
Veſtra patrocinio deniq́ Regis erit.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Qui genus, & Patriam veſtris deducit ab oris,
Vos cupit ac patrio ceu refouere ſinu.
Iam nox, atq́ꝫ ſequens dederat quæ feſta, quietem,
His fuerat nobis ſedibus acta dies.
Altera nox igitur quam primum ſole reducto
Ceſſit, & Eoum protulit aura iubar:
Digredimur, memoresq́ꝫ tuis Ottonia tectis
Reddimus hoſpitij nomine dulce Vale.
Venimus indè domos, ac regia tecta Nyborgi,
Littore quæ Balthys proluis vnda tuo.
Indigenæ dicunt corrupto nomine Peltim,
Balthica ſed Latio notior vnda ſono eſt.
Iamq́ꝫ dies hîc acta, ſimul pars altera noctis
Conceſſit ſomno, pars vigilata mero.
Surgimus Auroræ cum luce, vocantibus Auſtris:
Littore nos curuo vela ratesq́ꝫ manent.
Hinc vada traijcimus cano ſpumantia fluctu,
Linquimus ac fines Fionis ora tuos.
Sole nitet blando facies innubila cœli,
Et ſpirat placidi mitior aura maris.
Implenturq́ꝫ Noto iam turgida vela ſecundo,
Littus in aduerſum nos via prona rapit.
Hîc nos Geſſurium paruum, finesq́ꝫ Selandi
Excipit, & Regis non inamœna domus.
Salue Danigenûm pars ô cultiſſima terris
Quæ ſedem, & regni cor velut vna tenes.

Mœnibus & cultis flores vberrima pagis,
Arcibus, & templis, cœnobijsq́; nites.
E quibus vt paruo digreſſi, nocte peracta,
Geſſurio, cœptum continuamus iter.
Prima datur viſu, domus Andershouia nobis,
Clara tenet veterum quæ monumenta virûm.
Luſtrando Princeps Barnimus lumina paſcit,
Exiguas ſacra dum trahit æde moras.
Iam vicina vocat nos Ringelſtadia, iam nos
Quæ regitur docto Sora beata viro.
Artibus & linguis præſtans Iuare, ſcholæq́;
Haffniacæ quondam pars veneranda, Vale.
Quam me iuuiſſet placidos inuiſere vultus
Conſpectuq́; tuo colloquioq́; frui.
Sed nos flectentes obliquo tramite curſum
Neſtueto cinctas venimus amne domos.
Hinc Princeps rectà Varnburgi nobilis arces,
Ad Gezeræas & properabat aquas.
Indè breui curſu, traiectis protinus vndis,
Vt tibi dilectam Varne rediret humum.
Quæ niueis cygnis, & amœnis blanda Roſetis
Et Charitum gaudet, Pieridumq́; choro.
At me traxit amor, quò regia tecta viderem
Haffnidis & pariter culta Lycęa ſcholæ.
Et veteri notum pariter mihi laude Ripenſem,
Illic qui Medica clarus in arte viget.

Sed cur tam propero? cur mens heu neſcia, cur me
Præcipitem ſubitæ trudis amore viæ?
Scilicet antè pijs decuit ſuccedere tectis,
Herlaffsholma tuæ quá patet aula ſcholæ.
Nobilium ſobolem quæ nutrix fida parentum
Erudiens multa ſedulitate foues.
Quæq; viri claro complecteris oſſa ſepulchro,
Qui peperit magnum Marte togáq; decus.
Hermolewq; longo victurus Trollius æuo,
Qua laus & Virtus non ſinit alta mori.
Hæc tamen ignorans peregrinis hoſpes in oris
Propoſitam rectà carpere pergo viam.
Cocceiumq́; petens vadoſo littore cinctum
Exupero ſyluas, aruaq́; plena luto.
Namq́; dies adeò fuit imbrib. illa moleſtis
Aſpera præ cunctis, difficilisq́; mihi.
Quid tum? Culta trahit facundis Haffnia Muſis
Poſtridiè noſtro quæ pede tacta fuit.
Huc vbi perueni, mihi prima videre Ripenſem
Protinus ardenti pectore cura fuit.
Ergò per alternos mihi talis epiſtola verſus
Mittitur aduentus nuncia certa mei.
Culte mihi quondam viridi Franciſce ſub æuo
Dum luſit numeris prima iuuenta ſuis.
Aonij ſalue pars ô fidiſſima cœtus,
Quem decorat lauro, Phœbus & arte lyræ.

Atq; Machaonias idem cui tradidit herbas
Et quicquid Medicæ poſtulat artis opus.
Te mihi Leucoreo ſtudijs pater Albis in antro,
Te mihi formoſus iunxit amore Nicer.
Hic vbi pampineo ripas protexit amictu,
Et nitet inſigni docta Tybinga ſchola.
Intereà, tot iam circumlabentibus annis,
Alter ab alterius viximus ore procul.
Forſitan & nunq́; ſperabat vterq; futuram,
Quæ iungat rurſus corpora noſtra, diem.
Spem vicit, qui ſæpe parit bona gaudia caſus
Quiq; tui noſtro pectore perſtat amor.
Scilicet in Gryphum iam me Pomerania ſyluis
Contiguo Danis æquore terra fouet.
Hic dum multa cano, cathedræq; profeſſor inanis
Præmia vix ſterili parua labore fero:
Orbita iam Phœbi bis ter reuoluta recurrit,
Et peragit ſolitas annua meta vices.
Ergò ſub auſpicio Barnimi Principis iui,
Hæc qui cum caris fratribus arua tenet.
Holſatiæq; procul gentes, & Iutia vidi
Mœnia, Coldingæ magnificamq; domum.
Rex vbi magnanimus pompam de more peregit
Baptiſmo Natæ quæ celebranda fuit.
Nec mora, digreſſo iam Principe, rurſus eundem
Per Fionum lætus ſum comitatus agros.

Hinc

Hinc vada tranſuecti cum ſpumea Balthydis vndæ
Neſtueto cinctas venimus amne domos.
Vror amore tui, deſiderioq; videndi,
Clara domo Regis mœnia, clara ſchola.
Deflexi comitesq; meos, rectamq; reliqui,
Roſtochium verſus quam tenuere, viam.
Omine quod fiat fauſto, ſic Haffnia nobis
Contigit optato nunc adeunda pede.
Ergò mihi Danaûm ſalue domus inclyta Regum
Nereidum ſalue, Pieridumq; domus:
Quæ mihi Franciſci conſpectum reddis & ora,
Qui vetus in noſtro pectore durat amor.
Quemq; per Æthiopum flagrantes impiger oras,
Per gelidas ſequerer Sauromatumq; niues.
Tu quoq;, præclaris cui rebus gratulor aucto,
Dotibus ingenij, ſortis honore tuæ:
Poſt tot luſtra oculis tandem iam reddite noſtris
Perpetuum felix, & mihi dexter aue.
Qualiter Alcinous Phæacum rector in oris
Mæonidæ clarum carmine nomen habet.
Hoſpita munificis opibus quòd tecta recludens
Dulichium miti fouerit ore Ducem:
Tale tuum nomen tollent ſuper æthera Muſæ,
Si vates vati candibus hoſpes eris,
Cœtera cum veterem iucunda fronte ſodalem
Accipies, viuo plenius ore loquar.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Littera Franciſci mihi miſſa Ripenſis ad ædes,
Non expectatis vocibus indè redit.
Et mihi cum magno narratur abeſſe dolore,
Qui fuit aduentus vnica cauſa mei.
Quid facerem? manſi tamen & ſpem pectore foui:
Mox erit, vt redeat candidus ille domum.
Fama mihi indicium iam fecerat, arce morari,
Scania quæ littus munit opima tuum.
Helſinburga loco nomen: vir laudibus ingens
Optimus hîc æger corpore præſes erat.
Cui Franciſcus opem (ſineret ſi ferrea clotho)
Ab medicam fruſtrà ferre parabat opem.
Quæ poſtq̃, comperta mihi, mox mittitur iſtuc
Quæ fuerat noſtra charta notata manu.
Alloquor & tandem placidum per ſcripta Ripenſem
Et quæ ſint reditus tempora, ſcire peto.
Intereà pellam quò tædia temporis hoſpes,
At ſtudeam doctis notior eſſe viris,
Auſus & affari Patres, doctumq́; Senatum,
Præſidibus ſcripſi talia verba ſcholæ.
Aoniæ, ſaluete Patres, qui iura Palæſtræ
Sollicitum vigili mente fouetis opus.
Si licet & veſtrum fas eſt ſperare fauorem
Muſa nec à doctis ſpernitur iſta viris.
En ego, Pierios inter pars candida Vates,
Ad vos ingenuo pectore lætus eo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Littus Ariſtippo muta quam fecit arena,
Hanc mihi ſpem Muſis Haffnia plena ferat.
Haffnia magnorum ſedes pulcherrima Regum
Haffnia doctorum lumine clara virûm.
Qui vel Cecropij Demoſthenis ora referre,
Et Latio poſſunt cum Cicerone loqui.
Quos docuit radio deſcribere gentibus orbem
Vranie, curſus atq́; notare poli.
Quos Sophia excoluit, quos Delius arte medendi,
Erudijt legum cognitione Themis.
Parua loquor. caſto fouet hîc Eccleſia cœtu
Æterni verbum, noticiamq́; Dei.
Aureus at medio ceu ſol diffulget Olympo
Atq́; acuit radijs aſtra minora ſuis:
Sic Sol iuſticiæ, quà ſacra Eccleſia cœtus
Colligit, ipſe ſuo lumine Chriſtus adeſt.
Excolit & pulchra ſtellas hîc luce micantes,
Doctrina claros & pietate viros.
Scilicet has videor mihi vos cognoſcere ſtellas;
Talia de veſtris vultibus aſtra micant.
Qui cum doctrina Pietatis ſpargitis artes,
Quæ lucem vitæ, præſidiumq́; ferunt.
Felicem populum, quem ſtellis talibus ornat;
Et cui dona dedit talia ferre Deus.
Non ſic Triptolemus iactato ſemine frugum;
Non ſic terrigenis profuit alma Ceres:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Ad cultum ſanctæ velut hæc qui munera Vitæ
Artibus, & pura relligione ſerunt.
Talia Saxonicas primúm ſparſere per vrbes
Dona Deo miſſi, ſydera clara, viri.
Magnanimus verbi reuocata luce Lutherus,
Quam Stygium Papæ merſerat antè Chaos.
At bonus eloquij cultu, doctisq́; Melanchthon
Artibus, Aonij duxq́; paterq́; chori.
Quo ſocio magni vox eſt adiuta Lutheri,
Vindice barbaries quo dedit acta fugam.
Indè iubar cœleſte ſuis inducere regnis
Danorum Regi maxima cura fuit.
Nomine de Chriſti vere qui nomen habebat:
Tam fuit huic pura deditus ille fide.
Auſpice ſic illo Pietas has vênit in oras,
Artibus & ſtudijs concomitata bonis.
Emicuere piæ ſic læto lumine ſtellæ,
His quæ proueherent talia dona locis.
Semper vt hîc verbi lux incorrupta maneret,
Semper & Aonidum dulce vigeret opus.
Quid fuit hoc aliud quàm terris condere cœlum?
O felix cœlum, Sol vbi Chriſtus adeſt.
Accenſæq́; nitent vbi Chriſti lumine ſtellæ,
Propagantq́; decus noticiamq́; Dei.
Quod benè condiderat Pater, & ſeruare ſtudebat,
Filius en cœlum ſeruat & auget idem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Quippe patrocinium verbi gerit, atq; ſcholarum,
Et facili confert munera larga manu:
Vt Chriſti fidis Eccleſia creſcat alumnis,
Floreat ac doctis Dania culta viris.
Macte decus pietate tui Friderice parentis:
Præmia quæ meritæ laudis vtrumq; manent?
Ardentem ſtellis fertur Maruſius Atlas,
Subiectis humeris, ſuſtinuiſſe polum.
Fertur & Alcides, cum ſe releuauerat Atlas,
Excepiſſe humero pondera tanta pari.
Magna quidem,priſcis ſed laus conficta Poëtis,
Quam meliore modo vos meruiſſe patet.
Te cœlum geſtare liquet, Friderice, parentem
Hoc onus & pariter ſuſtinuiſſe tuum:
Quatenus ex veſtris humeris Eccleſia Chriſti,
Et pendent docti ſydera clara viri.
Eia age læta diu ſis tali Dania cœlo,
Cœligeros Reges ſemper & alma feras.
Qui patriam decorent meritis, quos dulcia Chriſto
Iuſticiæ ſoli regna parare iuuet.
Ad vos nunc redeo Patriæ ſacra ſydera gentis,
O clari ſtudijs & pietate viri.
Aſtra viam Ponto monſtrant fulgentia nautis,
Atq; regunt dubiæ pendula vela ratis.
Ipſe ego nunc luſtro peregrinæ littora gentis,
Et maris ignoti currere diſco vias.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Ergò precor placidos ad me conuertite vultus,
Et ſitis noſtræ portus & arua ratis.
Tunc ego vos Danæ celebrans pia ſydera gentis,
Dulciſono vates carmine gratus ero,
Et veſtri memor, his dicam digreſſus ab oris
(Non rapient volucres irrita vota Noti.)
Inclyta quæ facilem das vatibus Haſſnia portum
Perpetuùm ſalue, perpetuumq́; Vale.
Carmina ſuſcipiens à me tranſmiſſa Senatus
Reddidit optati mite fauoris opus.
Præſtantesq́; viri mihi mente dedêre benigna
Limen amicitiæ dulce patêre ſuæ.
Mox quoq́; miſſa redit Franciſci teſtis amorum
Littera, luminibus lucida gemma meis.
Aut petit, vt maneam, redeat dum ſoſpes in vrbem
Aut veniam Scanam trans mare vectus humum.
Conuentusq́; locum, quà priſcis Lundia templis
Eminet, ac certum denotat ipſe diem.
Obſequor, & ventis præſcripta luce ſecundis,
Scane tuum littus per freta naue peto.
Occurrit primum cultis Malmogia tectis,
Mœnibus, & vallo, Regis & arce potens,
Multaq́; ſollicitis præſtans commerica nautis,
Quos Ceres ex illo paſcit emenda loco.
Hic me cum ſocio paucas mora detinet horas
Dum relouet potus, membraq́; noſtra cibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Veſpere progreſſum me ſuſcipit hoſpite tecto
Præſulibus quondam Lundia clara ſuis.
Hîc ſedis primæ magna ditione tenebant
Qui ius in regnis Dania celſa tuis.
Quid referam Diuûm tot ſplendida templa, tot aras
Atq́ꝫ omnem ſacrum relligione locum.
Nunc & adhuc ſuperant tanti faſtigia templi
Cui par haud aliud Dania tota tenet.
Omnia ſic lapidis ſtant mole polita quadrati
Tale decus tumbis, tot monumenta virûm.
Tot celſi ſurgunt arcus, tantæq́ꝫ columnæ,
Tanta cauo ſubter fornice crypta iacet.
Eſt & Præſul adhuc, Canonumq́ꝫ à nomine priſco
Suffecti vera relligione Patres.
Qui non Romulei profitentur ſcita Tyranni,
Sed te Chriſte colunt ſpemq́ꝫ caputq́ꝫ gregis.
Quos, Rex, ingenuas vt ſeruet & excitet artes,
Talia doctrinæ præmia ferre ſinit
Vnus in his Venerandus erat, multiq́ꝫ lepôris
Hiſtoriæ multa tinctus & arte ſenex.
Baldaſar officij titulum (ſi ſyllaba verſu
Producenda breuis) Archidiâcon habet.
Qui mihi poſtridiè lautæ cum munere cœnæ
Nectareos docto promſit ab ore iocos.
Multaq́ꝫ de ſtudijs ſibi lecta auditaq́ꝫ paßim,
Narrabat iuueni multaq́ꝫ uiſa ſibi:

Mœnia dum Venetum, dum magnam Tybridis vrbem,
Dum luſtrat terras Gallia culta tuas.
Viue diu venerande ſenex, & molliter æui
Exige quod ſupereſt, cum pietate, tui.
Iam fuit orta dies, feſtum de more ſacrorum
Quæ peragit templo relligione decus.
Præſulis Albini ſacram procedit ad aram
Filia, purpureis ſponſa decora genis,
Auratosq́ incincta ſinus prædiuite cultu
A nitido flauas vertice ſparſa comas.
Iungitur huic iuuenis Franciſcus, conſule natus,
Haffnia quâ portu ſtat populoſa ſuo.
Ingenium ſolers, placidæq́ modeſtia mentis,
Ornat & innocuæ quem probitatis amor.
His vt eram thalami conuiuia vocatus honori,
Ritè dedi Muſæ talia vota meæ.
Prouida peruigilat diuini cura Parentis,
Et regit arbitrio cuncta creata ſuo.
Ætheris immenſas certis ſub legibus oras,
Aurea ſub nutu voluit & aſtra ſuo,
Solis ab obliquis dimenſo curſibus anno,
Signa mouet varias per duodena vices.
Temperat & noctes, gelidasq́ humoribus vmbras
Lumine permiſcet menſtrua Luna tuo.
Vere relaxat humum, conſtringit frigore terras,
Nunc æſtu torret, nunc rigat imbre ſolum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Hæc facit aſtra polo ſoles afferre ſerenos,
Fulmen & horriſonos illa mouere Notos.
Fœcundat meſſes, hominumq́; boumq́; labores.
Aſpicit, & multo fœnore ditat humum.
Continet æquorei fluctus ac ſtagna profundi
Præſcriptaq́; vetat longius ire via.
Tot liquidum volucres innare per aëra cernis
Tot ſub aquis piſces, tot nemore ire vias.
Nec tamen ex illis minimum genus excidit vllum,
Vi ſine cœleſtis, conſilioq́; Patris.
Vertice pendentes numerat Pater ille capillos,
Nec temerè hos ferri, diminuiq́; ſinit.
Arboribus numerat frondes, & reddit & aufert,
Omnia tam ſoli ſtantq́; caduntq́; Deo.
Sed nos præcipuè nos ſeruat & aſpicit æquus
Noſtraq́; diuina corpora curat ope:
Et cum corporibus, cognato reddere cœlo
Quas animas certa deſtinat ipſe fide.
Si modò nos tanti memores pia iuſſa Parentis
Et ſacrum verbi ritè ſequamur iter.
Ac velut in medio pupillam luminis orbe
Defenſam quiuis, incolumemq́; cupit:
Sic genus ipſe pium, cœtusq́; tuetur amicos,
Qui verbo pura corda dedëre fide.
Sic quoq́; diuinæ ſeruant quà fœdera legis,
Coniugibus caſtis ipſe benignus adeſt.

Quin etiam thalamo ſatis hos copulat idem,
Et torus eſt ſummi munus opuſq; Dei.
Hæc noſtris pars magna bonis: ſors optima vitæ
Prouenit è fauſti commoditate tori.
Iunguntur thalami blandis duo pectora vinclis,
Vt viuant ſocijs mentibus vna caro.
Diuaq; conſeruans caſtum ſine labe pudorem
His vt legitimi præſtet amoris opus.
Sic non illiciti nocuere Cupidinis ignes,
Spurca nec infandæ Cypridis arma timent.
Stat rectrix mens caſta ſui, ſtat neſcia culpæ,
Et bené fert caſto vota preceſq; Deo.
Alter in alterius gremio ſua gaudia norunt,
Virq; fouet nuptam, paret & illa viro.
Sic ſponſam tu Chriſte tuam complecteris, & te
Hæc caput, & vitæ ſic decus vna colit.
Quid cum progenies, & caſti pignora lecti,
Felicem cumulant terq; quaterq; domum?
An non indicio ſummi tunc Patris amorem
In natis fas eſt cernere cuiq; ſuis.
Si nos antiquæ gens oblita crimine labis
Poſſumus in natos pectus habere pium.
Poſſumus & ſtudijs hos, muneribuſq; benignis
Viſcera ceu fida noſtra fouere manu.
Cur non ille Pater, qui nobis auſpice Chriſto
Natorum pariter fœdus habere dedit.

Cur non diuinum largis impendat amorem
Dotibus, & placida nos bonus ornet ope?
Talia coniugio caſtæ ſolatia Vitæ
Sponſe feres, & tu candida ſponſa feres:
Dum vos officio pietasq́ꝫ fidesq́ꝫ tenebit,
Dum dabitis fido pectore vota Deo.
Hæc pater Albinus, quo Præſule Scania gaudet
Fontibus, & verbo cogitat hauſta Dei.
Et vos vnanimes ſtabili iam fœdere nectit
Lætior & veſtri pangit amoris opus.
Viuite felices, & uos & amate viciſſim
Tu gener ô ſocerum, filia cara patrem.
Sit quoq́ꝫ Nicolewꝫ felix Albinus in æuum,
Et vos, & vatem nunc amet ille ſuum:
Talia qui veſtro cecinit gratatus honori,
Tempore quo vobis Lundius hoſpes erat.
Gaudia dum ſolito feruent Hymenæia ritu
Et nos conuiuas menſa, merumq́ꝫ tenet
Pars mihi læticiæ facundum prima Tychonem,
Omnia qui callet ſydera, noſſe fuit.
Cuius & ingenio tantum nunc Huæna ſuperbit
Auſa caput magno tollere parua mari
Quàm Gnidos Eudoxo, quam ſe ſuſtollere gaudet
Hipparchi docta nobilis arte Rhodos.
Optime Rex tales foueas cum ſumptibus artes
Ingenioq́ꝫ potens, ſit tua cura, Tycho.

Te canit Vranie, tibi plaudit Phœbus Apollo
Applaudit meritis Mænalis Vrſa tuis
Et quantam Pharijs meruit Ptolomæus in oris,
Debetur laudi gratia tanta tuæ.
Poſtera Franciſcum lux auocat, imminet æger
Heu grauis in Medici pectore cura ſui.
Me ſumit comitem, celſamq́ue reuertitur arcem,
Vndè modò ad ſponſi ſacra profectus erat.
Eheu quã ſubitò væcors poſt gaudia luctus
Et dolor, & lachrymæ, curaq́ue triſtis adeſt.
Helſinburga tuus Præſes, qua nocte reuerſi
Venimus, occluſit lumina morte graui.
Quis mihi nunc tantos Paspergias Anna dolores,
Quis referat planctus nobilis Anna tuos?
Quæ cum ſis caſto Lucretia pectore, formæ
Vix Helenæ facies par queat eſſe tuæ.
Nec plus Alceſtis dilexit fida maritum,
Pro quo pallenti funera morte tulit.
Quàm penitus tu mente pia, quàm ſenſibus imis
Ardebas caſto mitis amore viri.
Ergò vbi defunctum iam fata ſeuera tulerunt
Preſsit & extremus frigida membra ſopor,
Tu ſuperincumbens, gelidoq́ue ſimillima ſaxo
Exanimem exanimi flebilis ore tenes.
Dumq́ue acres gemitus, lachrymasq́ue è pectore fundis
In gemitu, & medijs deficis in lachrymis.

Vt primum magno vox eſt laxata dolori
Hos ſingultanti rumpis ab ore ſonos.
Menè fugis coniunx? nè me pulcherrime coniunx
Effugis? & tanto ſeparor orba viro.
Hei mihi, cui miſeram, cui me, caramq́ relinquis
Progeniem, & Viduæ tecta regenda domus?
Te ſine, iam cœlo mihi ſol cecidiſſe ſereno
Atraq́ præ luctu cuncta videtur humus.
Te ſine, flore carent, & ſunt ſine frugibus arua,
Flore nitet quæuis frugeq́ diues ager.
Omnis lætitiæ mihi te viuente voluptas
Stabat, & hæc omnis te moriente cadit.
Atq́ vtinam tecum tumulo nunc iungerer vno,
Vna fui thalamo ceu ſociata tuo.
Nam mihi iam thalamus ſine te, mihi vita ſuperſtes
Ceu tumulus, nigræ mortis & inſtar erit.
Atq́ equidem tantum coniunx non ſola maritum,
Sed flet ceu fidum Dania tota patrem.
Et Rex magnanimo quamuis fortiſsimus Heros
Pectore, nil ſortis per mala fractus eat:
Hoc tamen audito triſtes è funere curas
Concipiet, mentis pro pietate ſuæ.
Quippè tuis meritis Schougardi ſemper amauit
Ingenuum pectus, conſiliumq́ tuum.
Tempore tu longo regni ſecreta tenebas,
Et noras Regis ſenſa animumq́ tui.

Et qua communem poſſes ſuadere ſalutem,
Multa tibi pietas, dexteritaſq; fuit.
Totius hinc regni primarius ipſe ſenator
Et quo gauderet curia, lumen eras.
Curia delectum ſibi te ſperare magiſtrum
Iam Patriæ magno quæ fuit auſa bono.
At nunc illa iacet ſpes & mitiſsime tecum
Occidit, ô meritis vir memorande tuis.
Quem lætæ Aonides facilem ſenſere patronum
Et columen doctis, præſidiumq; viris.
At nunc ecce tuo turbatæ funere Muſæ
Et lugent docti te cecidiſſe viri.
Quem ſenſit Pietas, & ſancta Eccleſia Chriſti
Egregiam ſacris promere rebus opem.
At nunc ipſa dolet Pietas, verbiq; miniſtri
Chriſte tuij, luctu corda premente gemunt,
Quem Pax Aſtrææq; fides, regniq; poteſtas
Sollicitum tenuit iuris & almus amor
At nunc Pax, Aſtræa, Fides, Reſpublica, Regnum
Heu tantum lugent occubuiſſe virum.
Quo magis aut prudens in publica commoda nemo
Aut magis erga inopes mitis & æquus erat.
Nectarei cuius manabant ore lepôres,
Comis & alloquij qui pia norma fuit.
Et qualis puri Pomponius Atticus oris
Cecropia peperit ſuauius vrbe decus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Talis & hic, pulcher dum Noridos vrbis alumnus
Exegit floris tempora prima ſui:
Dotibus euaſit facundi cultior oris.
Rettulit & morum cum pietate decus.
Omnia ſed Regni multo poſt auxit in vſu,
Dum præ priuatis publica dexter amat.
Fortunate, tuæ nunc viuet gloria famæ,
Poſteritasq́ꝫ tui nunc memor omnis erit.
Quod ſupereſt tumulo tua molliter oſſa quieſcant,
Spiritus ætheriæ nam colit aſtra domus.
Tempus erit, præſens iterum cum nobile corpus
Ipſi animæ, ſummum gaudeat ante Deum.
Tu quoq́ꝫ quid tantos Paſpergias Anna dolores
Concipis & lachrymis liqueris vsq́ꝫ tuis?
Quid fugiente anima toties iam deficis ægra?
Viribus & toto corpore caſſa iaces?
Eſt Deus ipſe, virum tibi qui reuocauit ad arces
Ætherias: ſupplex, fidaq́ꝫ cede Deo.
Hic tibi conſilio magnus meliore patronus,
Atq́ꝫ aderit prolis cura domusq́ꝫ tuæ.
Eſt Rex munificus, nec magni oblitus amoris
Ante tuum coluit quo pius ipſe virum.
Huic moriens & te, prolemq́ꝫ domumq́ꝫ reliquit
Commendans animam ſpeq́ꝫ fideq́ꝫ Deo.
At non depoſitum fallens ſuſcepta fouebit
Pignora, Rex placidæ munere largus opis.

Eſt tibi Mandropius præſtanti pectore frater
Gloria Pasbergæ claraq́ꝫ palma domus.
Inter honoratos proceres regniq́ꝫ ſenatum
Quem Virtus animi, conſilijq́ꝫ locat.
Hic quoq́ꝫ fraterni tibi munera ſoluet amoris
Solamen multis & feret ipſe modis.
Talibus in lachrymis nos Helſinburga tenebat
Plenaq́ꝫ luctiſoni cuncta doloris erant.
Sed nos digreſſos mox Danicus excipit Iſthmus,
Et ratis anguſtæ per freta portat aquæ.
Helſingora tuo ſic nobis littore pandis,
Hoſpitio faciles, officioq́ꝫ domos.
Hìc arcem vidiſſe iuuat, quæ diuite ſumptu
Extruitur Regi dicta corona ſuo.
Tantus in hac ſplendor, tàm propugnacula munit,
Quæ dant hìc regno commoda certa ſuo.
Poſtera lux tectis reuehit nos Haffnidis vrbis,
Et Franciſce tuæ dat mihi iura domus.
Iura per hoſpitij mihi cognita mitis amorem,
Quem tollet noſtro pectore nulla dies.
Iam finem mea Muſa petit, prius addere pauca
Sed tamen officij gratia iuſta monet.
Franciſco, Medicos dum mox reuocatur ad uſus,
Nunc comes exiguæ iungor, vt antè, viæ.
Hìc Friderice tui mihi cernere nominis arcem
Contigit: eſt Dani laus ea magna ſoli.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Deliciæ Regis pariter dulcisq; voluptas,
Tædia dum rerum vitat, & vrbis onus.
Stagna, molæ, lætum nemus, & viuaria circum
Incluſæq; tenent herbida prata feræ.
Nec non aſpectu domus ipſa oblectat amœno
Oſtentans primis ærea tecta ſuis.
Et ſtabulum canibus, ſtabulum ſpectabis equorum
Quam ſibi vir cupiat diues habere domum.
Hanc nos per ſyluam petimus dum curſibus arcem
Muſa refer, nobis obuius ecquis erat?
Vir pius, & doctus, Regi cariſſimus ipſi,
Qui benè Chriſtophori nomen & omen habet.
Nam fert ore pio laudes & nomina Chriſti,
Atq; ſalutiferam pandit ad aſtra viam.
Illius & gaudet Rex vocibus ipſe diſertis
Atq; pios mores, eloquiumq; probat.
Muneris eximij ſalue fidiſſime myſtes,
Te foueat Chriſti, regis & ornet amor.
Tu mihi, ceu placidè dicta acceptaq; ſalute
Pollicitus, certus poſtmodo fautor eris.
Poſtq; tecta tuæ Friderice reliquimus arcis
Quæ ſpectanda quidem, non adeunda fuit:
Ingredimur priſco Roſchildum nobile templo:
Hic olim magni Præſulis aula fuit.
Nunc Lago Becciades hac, nomine Regis, in aula
Quæ commiſſa ſibi munera, præſes obit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Ede precor cauſam mihi docta Camœna roſarum,
Cur à fronte ſacer dicitur iſte locus.
Tempore quo templis pariter, caſtriſq́; peritus
Abſolo Daniacas Marte regebat opes:
Delitiæ, Regiſq́; ſui gratiſsimus aula
Semper vt inſigni poſſet amore frui.
Mater Acidalij fontis Venus aurea lymphis
Proluit hunc illo, fouit & alma ſolo.
Hinc fons atq́; roſæ, Veneris certiſsima ſigna
Ex illa prodit vena perennis humo.
Quæ nomen fecêre loco. potiora ſequamur
Nos tamen, & cœptum perficiamus iter.
Templum antiquum, nigens, ſtructu ſublime decoro
Hîc quoq́; conſpicio, deuenerorq́; locum.
Carmina fortè legens venerandi Saxonis, ornant,
Quæ tumulum, voto proſequor iſta breui.
Auſpice quo veteres fortiſsima Dania pandit
Hiſtorias, ſalue docte vir atq́; Vale.
Spes quoq́; facta mihi monimentum inſigne videndi
Quo Rex Chriſtiades contumulatur, erat.
Quod manus artificium poliens, leuiq́; alabaſtro
Dædaleum curæ perficit acris opus.
Impediit caſus, promiſſaq́; noſtra fefellit:
Cuſtos hinc aberat clauiger ipſe loci.
Ergò reuertentem me conſulis hoſpita tecta
Accipiunt, dapibus ſtructaq́; menſa ſuis.

Hæc

Hæc mihi præſtantes vſu coniunxit amicos
Par quibus hoſpitium fecerat illa dies.
Nomina ſunt noſtræ memorari digna Camœnæ
Nomina ſunt noſtro pectore digna coli.
Carolus alter erat Danzæus, nobile pectus
Mitis & humani dulcis imago viri.
Qui modò Coldinga, Cimbræq́ à ſedibus arcis
Et ſibi dilecto Rege reuerſus erat.
Hunc res ad cauſas Patriæ cum laude gerentem
Miſit ad Arctoum Gallia culta polum.
Hîc ſenior, multoq́ ævi prudentior vſu
Aſsiduè fundit iam pia vota Deo.
Vt ceſſent ſæui de relligione tumultus,
Nec moueant docti iurgia tanta viri.
Vt ſtabilis Patriæ pax, & Reſpublica Chriſti
Floreat hoſtili: tota ſoluta metu.
Hæc ſperata ſibi ſi cerneret ante ſupremum,
Quem ſibi cunq́ dabit Chriſtus obire, diem.
Tunc voti compos cygnæa reſolueret ora
Et ſene cantaret cum Simeone ſenex:
Nunc ego iucundo claudens mea lumina ſomno
Lætus & oblatæ munere pacis eam.
Pax ô dulcis ades, pax optatiſsima terris
Pax mihi, qua ſummum perfruar ante Deum.
Ipſius in gremio ſecurus vt vsq́ quieſcam,
Quà colit ætherias Pax ſine lite domos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Alter erat menſæ ſocius tunc Lætus Eraſmus
Diuitis ingenij, Pieridumq́; decus.
Virgilium docto qui carmine reddit, & idem
Hiſtorico poterit Liuius eſſe ſtylo.
Adde quod hic Sophiæ cunctas penetrauit in artes,
Et nouit quicquid Biblia ſacra docent.
Parq́; viro grauitas, & ſunt ſine crimine mores
Et ſale cortinctum candidiore gerit.
Iamq́; dabant finem lautæ conuiuia menſæ,
Veſpere nos reduces Haffnia læta videt.
Hic paucos ſubſiſto dies, dum ventus & vnda
Auocet, inq́; meum commoda nauis iter.
Iam iam diſceſſum poſtrema luce paranti
Alloquium docti contigit ecce viri.
Alloquium, facilem mihi quo teſtatus amorem
Obtulit officij munera grata ſui.
Ille Seuerinus laudato nomine Petrus
Pœonia medicus Regis in arte valet.
Illi creſcat honos, plenoq́; fluentia cornu
Præmia munificæ ſortis & artis eant.
At Rex incolumi longum lætetur in æuum
Corpore, nec medicæ flagitet artis opem.
Adſit & huic, regni moderator Chriſtus ab alto
Tuq́; mihi dulci Dania pace Vale.

AD NO-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

LIBER TERTIVS CONTInens Elegias ad viros illuſtres in Dania.

AD NOBILEM ET MAGNIFICVM VIrum Dominum Nicolaum Kaas, Inclyti Regis Daniæ Cancellarium.

ELEGIA I.

PIeridum columen, Virtutis & artis aſylum
O decus, & Dani gloria Kaâse ſoli:
Cum tibi ſit facilis miti ſub pectore candor,
Muſaq́; non tetricum te ſinat eſſe virum:
Da veniam, doctas ſi mittere carmen ad aures,
Conor & alloquium ſollicitare tuum.
Carmine Mecœnas Andini ruris alumnum
Iuſsit amicitiæ munus habere ſuæ.
Pollio carminibus placatus amauit eundem:
Et fuerant magni Cæſaris ambo decus.
Non ego Mantoo demens me confero Vati,
Sed pede me cautè metior ipſe meo.
Nec tamen eſt hederæ nullus locus, inclyta quamuis
Victori circum tempora laurus eat.
Et modò tu faueas placido mitiſsime vultu,
Non erit in Muſa gratia nulla mea.
Sed bona ſpes vires iam ſuggerit: accipe quales
Concinit ipſa tuo freta fauore modos.
Ampla nihil melius formoſi regia cœli,
Pulchrius aut almo lumine Solis habet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Solis vt in cœlo, ſic Regis gloria terris
Lux fulget regni, præſidiumq́; ſui.
Rege bono gaudet felix Eccleſia Chriſti,
Et pax, & pietas exerit alma caput.
Rege bono Virtus aſſurgit, & omnis honeſtas:
Omnia floreſcunt commoda Rege bono.
Sed neq́; Sol ſocijs ſine regnat in æthere ſtellis,
Et Ioue ſtipatur, Mercurioq́; ſuo
Belliger atq́; illi Mauors, Saturnus & aſtat,
Iam grauis annoſa calliditate ſenex.
Regis & in magno vis, ac prudentia regno
Deficiet, fidis incomitata viris.
Ergò alios rigidis aptos ſibi deliget armis,
Quiq́; tenent, quo ſint bella gerenda modo,
Fortiter vt patriæ poßint tunc iura tueri,
Marte coercendus cum ferus hoſtis erit.
Parte alia iuris ſocians, legumq́; miniſtros,
Artibus & pacis pectora culta leget.
Ardua ſolliciti tractantes pondera, regni
Qui res eloquio, conſilioq́; iuuent.
Quiq́; peregrinas mißi cum laude per oras
Expediant Regis iuſſa verenda ſui.
Nomine Rex multum Fridericus vtroq́; beatus
Danica Parrhaſio regna ſub axe tenet.
Vtq́; potens, taceam, quam ſit victricibus armis,
Quæq́; habeat bello Martia corda virûm.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Optime vir Danæ lumen venerabile gentis
Indicio è multis tu ſatis vnus eris:
Conſilijs munita quibus ſit curia Regis
Quosq́; ſibi prudens iungat, alatq́; viros:
Vt ſeruare queat felicis munera regni,
Duces opum pacis iuſticiæq́; tenax.
Quanta Iouis cœlo Clementia temperat æquum,
Cui rigor, & triſtis pectore liuor abeſt.
Tantus amor recti, tàm mens tibi mitis & æqua
Conſilijs ſpectat fasq́; piumq́; ſuis.
Munere facundi qualis Cyllenius oris
Nuncius ad manes, & ſupera alta volat:
Dotibus eloquij tu talis, in omnia Regis
Iuſſa, domi interpres ſufficis, atq́; foris.
Ergò tibi rerum credit decreta ſuarum,
Regius & peragit te duce cuncta ſtylus.
Te duce de magnis ſolers prudentia rebus
Plurima maturo, quæ decet, ore monet.
Vtq́; Mycenæo Neſtor grandæuus Atridæ
Ingenij carus dexteritate fuit:
Sic benè te meritum dulci complexus amore
Rex fouet, ac Pylij te ſenis inſtar habet.
Sic etiam Natura parens coniungere dotes,
Et monet exemplo fœdus amore ſuo.
Egregium fœdus, quo Regia nempe poteſtas
Prudentum ſociat munus opemq́; virûm.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Quis neget? in noſtri media ceu corporis arce
Cor viget, & Regis fortia iura tenet.
Omnis ab arbitrio cordis conſurgere motus,
Atq; inimica ſolet pellere, grata ſequi.
Cordis ab auſpicio Nemeſis heroica ſurgit,
Atq; odium ſontes, iraq; iuſta premit.
Cordis ab auſpicio placidi generantur amores,
Et benè pro meritis gratia digna redit.
Non alio de fonte fluunt bona gaudia mentis:
Cor mœroris habet lætitiæq; vices.
Indidit hos ſtimulos ſummo Deus author Olympo,
Vt diſcat veris gaudia ferre bonis:
Nil niſi diuinum colat ac veneretur honorem,
Et quicquid Virtus, ſanctaq; iura iubent:
Oderit omne nefas, atq; extirpare laboret
Quicquid vim, fraudem, perfidiamq; ſapit:
Læteturq; pij ſemper Genitoris amore,
Hunc vbi tranquilla mente fideq; colit:
Ac doleat tantum mox offendiſſe Parentem,
Cum titubans rectum fortè reliquit iter.
Felices, quos iſta iuuat moderatio cordis,
Horum cor uerè regia ſceptra gerit,
Horum corde Deus tenet aurea templa, ſuæq;
Hic habitans auræ viuida flamma micat.
Ergò pater ſocios moderandi cordis ad vſus
Conſilij iunxit, iudicijq; iubar.

Mens

Mens ſedet, ac clara purgatum luce cerebrum
Spiritibus, certa cum ratione regit.
Vt monſtret cordi quæ ſint obiecta ſaluti,
Quæ contrà fraudem perniciemq́ꝫ ferant.
Quin etiam ſacri dignatur lumine verbi
Ipſe piam mentem, corq́ꝫ monere Deus.
Vt melius cernat Vitæ decus omne beatæ,
Diſcat & ex ipſo fonte ſalutis iter.
Adde quod afflatu diuinæ promouet auræ
Cordis &, vt monitis pareat, vrget opus.
Ecquid rege putes igitur felicius iſto?
Cui ſic proſpexit prouida cura Dei.
Conſilij iunxit cui ſic operumq́ꝫ magiſtros
Vt ſapere, & ſemper poſſet honeſta ſequi.
Quid loquar vt vires pulmonis & organa linguæ
Mirifica cordi conſociauit ope?
Regis vt Orator lateri ceu proximus eſſet,
Qui benè conſultis adderet ore fidem:
Ac regis mandata ſui proferret agendo,
Nec ſineret tacito clauſa latere ſinu.
Optime naturæ myſtes, vocisq́ꝫ magiſter
Qua cor magnanimum regia ſenſa ſonat.
Siue tibi pulmo, ſeu fiſtula rauca tracheæ
Gutture nodoſo ſeruit & vda larynx:
Dentibus, & tereti modulans ſeu lingua palato,
In verba efformat congrua, vocis opus:

Sit tibi coueniens ſemper cum pectore ſermo
    Coueniens vero, conueniensq́; bono.
Nullaq́; fraus unquam dictis fallacibus adſit
    Nec lædas homines, contemereſuè Deum.
Sic te non odio dignum generoſus Achilles
    Cenſeat, aut Stygium credat habere nefas.
Nam verè tales inuiſo deuouet Orco
    Corde quibus diſtat ſenſus & ore ſonus.
Fallere qui norunt blandæ dulcedine linguæ
    Cum tacitum turpi pectore virus alant,
Non minus eſt magno generoſus & acer Achille,
    Candoremq́; bonus ſic Fridericus amat:
Imperij Fridericus habet qui ſceptra potentis,
    Quà nitet Arctoo Dania clara polo.
Ergò etiam fucum linguæ velut odit inertis,
    Osq́; nequit fallax, perfidiamq́; pati:
Sic amat ingenuo fidam cum pectore linguam,
    Eximiæ virtus cui ſimul artis ineſt.
Hinc te conſilijs meritò vir candide iunxit,
    Qui velut ingenio perſpicis, æqua colis.
Hinc Oratorem meritò te cordis & oris
    Eloquio voluit promere ſenſa ſui.
In quo doctiloquæ verax conſtantia linguæ
    Pectoris eſt concors cum grauitate ſui.
Macte ſenex venerande tuo comes addite Regi
    Eloquij certa, conſilijq́; fide.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Viue diu, cordiſq́; tui ſit prima voluptas
Digna tui Regis corde animoq́; loqui.
Semper & ipſius, dum faſq́; piumq́; iubebit,
Orator fauſto Numine dexter agas.
Quod ſupereſt facili complectere mente Camœnas
Et ſis Pierij portus & aura gregis,
Templa, ſcholæ, pietaſq́; tuum, ſeges aurea Chriſti
Sentiat & legum cura patrocinium.
Si tibi certatim fundent præconia Muſæ
Ore pio grates & reuerenter agent.
Famaq́; Kaáſiaci generis præclara manebit,
Magne vir, auſpicijs conciliata tuis.
Donec in his terris, Danæq́; per æquora gentis
Sparget in occiduum Mænalis vrſa iubar.
Quin etiam te dulce ſuo decus addet Olympo
Vna pijs merces Chriſtus opima viris.
Per quem Nicoleως æternæ præmia palmæ
Nactus, & ex vero nomine victor eris.
Chriſte faue, Danæq́; pium decus aſſere gentis,
Et regnum hoc laudi ſeruiat vſq́; tuæ.

AD NOBILEM ET AMPLISSIMVM Virum, Dominum Chriſtophorum à VValkendorp, Inclyti Regni Daniæ Senatorem & Quæſtorem Regium.

ELEGIA II.

PVblica cum vigilans in regni iura ſenator
Ardua ſollicita pondera mente feras.
Cumq́ue ſimul fidus ſolerti pectore Quæſtor
Regis opes ſtudeas amplificare tui.
Forſitan audacter faciam, qui mollia, tantis
Obſeſſo curis, carmina mitto viro.
Me tamen ipſa tui bonitas ſolatur amoris
Audendiq́ue viam comiter ipſa docet.
Nam quamuis amplæ teneas faſtigia ſortis
Et grauibus curis pectora cincta geras.
Pieriam tamen ipſe Chelyn, dulcesq́ue Camœnas
Vt fama eſt, miti pectore ſemper amas.
Ergò age ſeu regni tu diuitis ampla ſenator
Commoda, ſeu Regis Quæſtor amabis opes.
Accipe de nummo miſſum quod carmen habebis,
Conuenit ad curas nummus vtrinq́ue tuas.
Obtulerat Chriſto nummum verſutus Apella
Atq́ue ita quid ſuades docte Magiſter, ait.
Cæſareòne decet perſoluere munus honori,
Quod templo noſtri contribuere patres.
Ille tenens ſacris manibus regale numiſma
Ancipitis cautè proſpicit orſa doli.
Sicq́ue refert: Cuius vultum deſignat imago.
Quam ſolers tereti ſculpſit in ære faber?

Cæſaris eſt facies, Chriſto reſpondit Apella
    Eius & auſpicium nummus & ora gerit.
Ergò quid ambages fruſtrà iam nectimus? inquit:
    Cæſaris autori reddite iura ſuo.
Reddite (Cæſareum pietas nec tollit honorem)
    Reddite ſic pariter debita iura Deo.
Hæc ſuperum lex eſt, ſapientia ſumma Parentis,
    Quam Natus ſacro condidit ore Dei.
Hæc velut inſtituit diuini Patris honores
    Et ſancit veræ relligionis opus:
Sic quoq́; ius Regum confirmat, & ordine monſtrat
    Ritè Magiſtratum qui comitetur honos.
Ferre tributa decet, facilesq́; impendere nummos
    Regibus, & certæ debita dona ſtipis.
Namq́; ſuis humeris cum libertate ſalutem
    Et Patriæ leges grande tuentur onus.
Siue vocat tempus duro decernere bello
    Hoſtis & à patrio vim prohibere ſolo:
Seu poſcunt operas Pallasq́; Themisq́; togatas,
    Vt pax, & poſsint ciuica iura regi:
Nummus vbiq́; valet, nummo pax aurea gaudet
    Huius & excultas munere ſeruat opes.
Nummus & ad bellum neruos, viresq́; miniſtrat,
    Subſidioq́; facit cuncta valere ſuo.
Quò magis exercet fidus ſanctiſsima Quæſtor
    Munera dum Regi colligit æra ſuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Quorum præſidio ſi deſtituatur & vſu,
Eius in imperio vis quaſi manca iacet.
Ipſe datis Chriſtus ſeu quinq; decemue talentis,
Admonet in regno quærere lucra ſuo.
Vos quoq; Quæſtores prudentia iuſta gubernet
Atq; fides, Regum qua cumuletis opes.
Dum tamen hæc animos nummorum cura fatigat,
Poſtulat & veſtram regia gaza fidem.
Mente decus pariter diuini agnoſcite nummi
Altior & ſuperas cura requirat opes.
Mens hominum, ſacra ſignatus imagine nummus
Autoris debet iura referre Dei.
Illa quidem triſti malè deformata ruina
Perdiderat lucem dulcis imago ſuam
At bonus æthereo deſcendit Chriſtus Olympo,
Effigiem poſſet quò reparare ſuam.
Huius ab auſpicio, deterſa labe, reſurgens
Mens hominum priſcum iusq; decusq; capit.
Pulchraq; diuinæ redit illi lucis imago,
Fiat vt ætherij cælica gaza patris.
Hanc igitur gazam regnis ſeruare paternis,
Primaq; ſit ſupero cura referre polo.
Has pater ille petit, quas non ſeruabimus illi,
Æternas nobis quin cumulemus opes.
Ne tamen hic quidquam noſtris conatibus obſtet,
Quæſturæ ſtatuit publica iura ſuæ.

Fida parens ſacrum iuſſa eſt Eccleſia nummum
Atq́; pias cœlo quærere diuitias.
Hæc ſtudioſa domum peruerrit faſcibus omnem,
Et vigil illato lumine luſtrat humum.
Vt ſua veſtiget, ſuperoq́; reportet Olympo
Lucra, pias mentes & ſuper aſtra ferat.
Lex faſces diuina notat quæ pectora fracta,
Præparat ad ſanctum relligionis opus.
Hinc Euangelij luſtratæ lumine mentes,
Iam redeunt Domino dulce numiſma ſuo.
Amiſſamq́; noua referunt in imagine lucem,
Iuſticiæ & laudis, Rex Deus alme, tuæ.
Hoc opus, has ſanctas dum fert Eccleſia curas
Officium matris quiuq́; iuuate piæ.
Tuq́; adeò Dani Quæſtor fidiſsime Regis,
Munera Quæſturæ nunquid & huius amas?
Qua tua, cunctorumq́; ſalus æterna parari,
Et debet ſummi creſcere gaza Dei.
Quid ni dexter ames, & munera talia matris
Officij ſtudeas parte iuuare tui?
Pectore munifico tu templa ſcholasq́; fouere
Diceris, Aonij fautor & eſſe chori.
Hi ſunt Quæſturæ nerui cœleſtis, & illis
Inſtruit ad ſacrum ſe pia mater opus.
Macte tuis igitur meritis ampliſsime Quæſtor,
Chriſtophore ô Regis curá fauorq́; tui.

Collige

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Collige diuitias illi Chriſtoq́ꝫ, tibiq́ꝫ
  Hanc cole, quæ ſacras quærit & auget opes.
Inclyta ſic pariter felici Dania regno,
  Teq́ꝫ beent ſuperi cœlica regna Patris.
Et domus, & multæ ſtirps VValkendorpia laudis
  Augeat inſigni ſemper honore decus.

AD NOBILEM ET GENEROSVM VIrum Dominum Mandropium Paſpergium Inclyti Regni Daniæ Senatorem.

ELEGIA III.

CLare vir & veteri Paſpergæ ſtemmate gentis
  Irradians pulchræ nobilitatis honos:
Accipe quæ dulces tibi mittere carmina Muſas
  Laurigeri iuſſit ductor Apollo chori.
Quod prodit ſuaſore Deo contemnere munus
  Non potes, & ſacrum carmina Numen habent.
Sed neq́ꝫ contemnis, neq́ꝫ pectore mitius vllum
  Eſſe ferunt Muſæ, candidiusq́ꝫ tuo.
Ergò ades ô ſancti pars, & pia fama ſenatus,
  Conſilio ſoſpes Dania cuius agit.
Dania Marte potens, opibus cultiſſima pacis
  Hoſpitium verbo Dania dulce Dei.
Inde ſenatores tanti quæ prouida regni
  Dirigat attento pectore cura, patet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Et quo felices procerum prudentia mentes
Numine conſilij proſperet ipſa ſui.
Optima lux rerum vigili prudentia ſenſu
Salue iudicij candida Diua parens.
Per te cunctarum diſcrimina cernere rerum,
Et datur aſſenſu vera probare tuo.
Per te falſa patent, & quam reprobanda merentur,
Cenſuræ ſubeunt, iudicijq́; notam.
Vtq́; pares moderans examine libra bilances
Explorat certis pondera quæq́; notis.
Sic graue iudicium rerum momenta volutat,
Et precium cunctis ponit habere ſuum.
Artibus hinc doctis venit cæleſtis origo:
Hinc iubar accendit caſta Minerua ſuum.
Hinc Sophiæ decreta, ſacras hinc aurea leges
Condidit, & ſtabili ſeruat honore Themis,
Quid genus humanum ſociat, quid iura gubernat?
Quid ſtabili Regum ſceptra tuetur ope?
Vnde caput tollunt populi florentis honores?
Et creſcunt opibus mœnia magna ſuis?
Hoc facis, hæc læto prudentia munere donas:
Auſpicio ſurgunt iſta, manentq́; tuo.
Tu niſi ſis præſens, clauoq́; affixa regendo
Incumbas curæ ſedulitate tuæ?
Quæq́; trahet ſubitam Reſpublica verſa ruinam,
Mores, & populi, mœnia, regna ruent.

Auſpice

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Auſpice te famam, meritis peperere perennem
Cecropidæ magni, Romuleiq́ Duces.
Extulit eximium prudentia clara Periclem:
Legiſer hac peperit nomina magna Solon.
Lælius hac, ſacriq́ interpres Scæuola iuris
Claruit, & docto cum Cicerone Cato.
Scipio nec tantum prælustris fortibus armis
Quàm prudente animo clarus vterq́ fuit.
Nobile facundi memorem quid nomen Vlyſsis?
Quid, quæ conſilij præmia laude tulit?
Magnus erat, belloq́ potens, & viribus Aiax
Hectora ſuſtinuit, Dardaniosq́ Duces.
Dulichij ſed erat prudentia maior Vlyſsis,
Et commune magis apta fouere bonum.
Hinc fuit Aiaci meritò prælatus, & armis
Æacidæ eſt habitus dignior eſſe tuis.
Quid proſunt magnæ pugnaci in corpore vires?
Mens incauta parum ſi rationis habet.
Scilicet effoſſo fuerat quod lumine Cyclops,
Hoc fuerit talis robur inane viri.
Ergò ſit ingenij, quo fert prudentia palmam,
Cura prior, Marti ſeruit & illa togæ.
Illa Duci prodeſt armanti in bella cohortes,
Inq́ tuum vigilat Curia, pace decus.
Proſpicit, vtilitas ſemper quid publica poſcat,
Quid paret imperij, quid tueatur opes.

Qua ratione domus, priuataq́ vita regatur,
    Et mens tranquillo degat honeſta ſtatu.
Cumq́ ſit vtilitas ſeiuncto turpis honeſto,
    Huius ab illecebris reſpuit illa capi.
Iuſticiæq́ decus iamdudum & laudis amorem
    Præferet Vtilitas crimine ſi qua venit.
Talis Ariſtides cultis perſuaſit Athenis,
    Fallere ne cuperent iura fidemq́ dolo.
Quamuis conſilium Themiſtoclis vtile poſſet
    Augere immenſas diuitiis vrbis opes.
Nec ſemper proprio confidit lumine mentis,
    Vir prudens, alij quæ monuere, notat.
Aurea doctorum voluit monumenta virorum,
    Exempla hiſtorico vel celebrata ſtylo:
Vel quæ longa dies, atq́ experientia rerum
    Aut quondam cani propoſuere patres.
Sed neq́ Cecropidæ, nec quæ ſcripſere Quirites
    Aut quacunq́ hominum factus ab arte liber:
Tàm tibi certa dabunt vitæ documenta regendæ,
    Quàm lex, quæ ſummi prodijt ore Dei
Hanc normam forti Numidæ Deus ipſe ſequendam
    Obtulit, & legis ſcripta ſacrata ſuæ.
Dixit, & ante oculos hoc ſemper habeto volumen,
    Donec eris populi duxq́ caputq́ mei.
Hoc animo vigili noctesq́ diesq́ reuoluas,
    Vt noris iuſſas certus obire vias.

Hinc

Hinc aderit tibi digna tuis prudentia ſceptris
    Et perages felix, omneq́; dexter opus.
Hæc moniti parete Deo, Regesq́; Ducesq́;,
    Et quoscunq́; tenet curia celſa viros.
Normaq́; conſilijs & ſit Cynoſura ſacratus
    Ille liber cœlo, voxq́; ſuprema Dei.
Accedant caſtæq́; preces, rebusq́; gerendis
    Succeſſum cœlo candida vota petant.
Corda vacent motu: mens perturbata ſiniſtro
    Lumine ceu titubans nil ſapienter agit.
Pectore tranquillo puræ ſacraria mentis
    Cordati poſcit prouida cura viri.
Hinc bona conſilij manans, ceu fonte perenni,
    Vena ſalutares usq́; refundit aquas.
Concentumq́; tenet Virtutis, et ordine gaudens
    Mens placida ad rectum cuncta piumq́; refert.
Optime vir, claro Pasbergæ ſtemmate gentis
    Numina natalem cui tribuere domum.
Non ego, delirus ceu Phormio plurima Pœnum
    Admonuit belli de ratione Ducem:
Sic moueo nunc iſta, velut præcepta daturus,
    Quæ memor obſerues vſibus apta tuis.
Sed quia te conſtat ſapienter talibus vti
    Lumen & hinc patriæ clarius eſſe tuæ:
Gratulor, & Danæ læto precor omine genti,
    Vt tales regno proferat vſq́; viros.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Talis erat nuper Schougardius ille, ſororis
Fata, pius coniunx, dum voluere, tuæ.
Quem quoniam celſo Deus hinc transuexit Olympo,
Conſortem ſuperæ fecit & eſſe domus:
Saltem nunc alios Danorum reddat honori,
Commoda qui regni dexteritate iuuent.
Fallor? an his fauſto Deus annuit æthere votis?
Et dedit inſignes & dabit vſq; viros.
Tu quoq; defunctum ſimili virtute rependes
Laudibus & felix illius inſtar eris.
Viue diu regni prudens & fide ſenator,
Mandropiumq; tegant numina fauſta, Vale.

AD NOBILEM ET PRÆCLARISSImum Virum Dominum Benedictum ab Alefeldt Inclyti Regis Daniæ Mareſchalcum.

ELEGIA IIII.

STirpis Alefeldæ de ſanguine nate vetuſto
O decus, & generis laus Benedicte tui.
Si mea iam facilem flectas ad carmina vultum
Et des alloquio vela ſecunda meo:
Tunc mihi iam dudum ſpiret numeroſus Apollo,
Et mea Caſtalia vena redundet aqua.
Namq; tuis Charites oculis mihi dulce videntur
Carmen, & Aonios velle mouere ſonos.

Et te iucundi cum ſplendor corporis ornet,
Pectoris exculti gratia maior adeſt.
Te quondam gremio cum læta teneret amico
Ignibus incaluit Leucoreæa tuis.
Cæruleumq́ patrem ſuſpirans dixit ad Albim:
O mihi quis pulchri ſanguinis hoſpes adeſt!
Hinc, mihi Dij faueant, dulces & adeſſe Camœnas,
Nec pigeat votis munera ferre meis:
Hunc ego Daniaci quondam decus eſſore regni
Auguror, atq́ vtinam poſſet vt eſſe meus.
Sed quoniam ſua quemq́ vocat ſors ordine Diuum,
Cogitur & fati viuere lege ſui:
Moribus excultus, ſacris ſimul artibus auctus
Creſcat & in ripis ſit pia cura meis.
Sic quondam patrias ſurget noua fama per oras,
Lumen & ingenuæ nobilitatis erit.
Dixerat: applauſit liquido pater Albis in antro,
Mouit & arboreas proxima ſylua comas.
Pondus ineſt dictis, atq́ omen amabile Diuûm:
Res probat augurium Leucoreæa tuum.
Optimus en fauſto Benedictus nomine regni
Iam nitet, & Regis cura fauorq́ ſui:
Magnanimi Regis, cuius Neptunia ſceptra
Suſpicit è canis Balthica Tethys aquis.
Nec tamen admiror, ſi Rex complectitur illum
Atq́ aulæ dignum cenſet honore ſuæ.

Ipſius hoc Virtus cum ſic meratur, & omnes
Hunc habilem ad laudes mens moderata ferat:
Cur alios non hic moderetur, & arbiter aulæ.
Ad diſciplinæ præſit equeſtris opus?
Qui ſeſe ſic ipſe regit. ſic moribus aptis
Componit mentis iura modumq́ ſuæ:
Omnibus vt poßit ſpecimen bonitatis haberi
Leniter admiſta quæ grauitate nitet.
Fabula Bellerophon doctis notißima Muſis
Perſonuit Clarij iam nemus omne chori.
Ille fuit iuuenum pulcherrimus: illius ora
Ardebant iaculis ſæue cupido tuis.
Hauſerat hinc flammas Præti malè ſobria coniunx
Pectore furtiuum iam meditata nefas.
Abnuit, & caſtum iuuenis violare pudorem,
Propoſito conſtans laudis amore, negat.
Spreta dolet flammaq́ odij iam mutat amorem
Fœmina: fit falſi criminis ille reus.
Mittitur ad Lyciæ clam, portans ſcripta, Tyrannum:
Perdere quem ſtudeas, hoſpes adulter adeſt.
Objicitur varijs duro certamine monſtris:
Hoſtibus at victis exit vbiq́ dolum.
Ignìuomæ tandem pugna eſt extrema Chimæræ:
Hanc quoq́ deuincat, morte vel ipſe cadat.
Excipit inuictum iuuenem pernicibus alis
Pegaſus hoc audax prælia tentat equo.

Ipſa ſimul Pallas tantos miſerata labores
Aurea pugnanti frena tenenda dedit.
Indomitum quò poſſet equum moderamine certo
Fortia militiæ flectere ad arma ſuæ.
Bellua ſic etiam triplici ceruice reciſa
Bellerophontæa concidit illa manu.
Parce tamen iuuenis cœlum ſperare volatu
Non facit ad tales Pegaſus ipſe vias.
Ipſe quidem nitidis tendet ſuper æthera pennis,
Atq; nouum cœlo deniq; ſydus erit.
At tibi mortali non fas hæc ſcandere regna,
Quò ruis? heu voti contrahe frena tui.
Contrahe, ne nimiò iam iam temerarius auſu
E volucri præceps deijciaris equo.
Talia doctiloqui fingunt commenta Poëtæ,
Virtutis pingat quò color iſte decus.
Ne tamen ambages, quas fabula continet omnes
Perſequar, è multis pauca, ſed apta legam.
Pegaſus indomito volitans per nubila curſu
Denotat ardores, bruta cupido, tuos.
Qui iecur incendunt auidum, motuq; procaci
Parte animæ feruent inferiore ſuæ.
Inſidet his acri quis fortior indole rector
Qui ſpeciem magni Bellerophontis habet?
Imperium cordis, celſumq; intellige pectus,
Cætera quo debent principe membra regi.

Sed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Sed quoq; cor proprijs affectibus æſtuat ægrum,
Huius & eſt regno vis minus apta ſuo.
Ni capiat cœlo diuinum à Pallade frenum
Et vigilet miris in ſua iura modis.
Mens Pallas, ratio diuinum & nobile frenum
Ad regimen cordis debet adeſſe ſui.
Sic benè conſtabit moderati pectoris ordo,
Nec vagus hoc rapidis motibus ardor aget.
Sic laus officij, ſtabilis ſic norma decôri
Conſenſum pulchræ proferet harmoniæ.
Moribus illa tuis Benedicte relucet imago:
Tu benè compoſito pectore iura tenes.
Quæ tibi ceu frenum dedit aurea cura Mineruæ
Ingenij certa dexteritate tui.
Quod veluti Natura bona de ſtirpe creauit,
Artibus excoluit ſic pia Muſa ſuis.
Hinc tibi temperies laudatæ conſona mentis,
Omne tuum Virtus & moderatur opus.
Macte tui felix ſacro moderamine freni
Iamdudum rector qui potes eſſe tui.
Nunc equitum curam ſolers, aliosq; regendos,
Munus honoratum munere Regis, habes:
Nec tamen extollit tibi vana ſuperbia vultum
Sed placidum miti lumine pectus habes
Hoc eſt, Bellerophon quod ſi tenuiſſet, ab alto
Heu malè deiectus non cecidiſſet equo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Inquinat Heroum maleſana ſuperbia laudes
    Alta graui caſu, læta dolore premit.
Ergò ne tales ſubeas Benedicte ruinas,
    Quod facis, ingenuo corde modeſtus eris.
Nec non Aonidum decus & pia cura fouebis
    Aonium miti dexter amore chorum.
Hoc dum perficies, inſigni carmine Muſæ
    Victurum tollent nomen ad aſtra tuum.
Bellerophonte procul de lapſo, Pegaſus ales
    Quo ſtetit vt ſupero conſpiciare loco.
Intereà fauſto te ſeruet Numine Chriſtus
    Vtq́; diu felix ſis Benedicte, Vale.

AD NOBILEM ET EXIMIVM VIRVM
Dominum Caſparum Paſelicum Regium
Conſiliarium.

ELEGIA V.

QVàm benè viuebant ſanctis ſub Patribus olim,
    Ipſe quibus regnum conciliabat amor.
Et pudor, & canam metuens reuerentia frontem,
    Et probitas dictis mollis & apta regi.
Tunc nondum ferus enſis erat, nec bella fremebant,
    Rixa nec auſteri ſuppliciumq́; fori.
Aut nulli ſontes, aut quos inflectere poſſet
    Et grauis admonitis vincere cenſor, erant.

Et ſi quem ſenior triſti obiurgauerat ore,
Pœna ſat hæc illi dura grauisq; fuit.
Qui vim moliri ſcelus aut defendere vellet,
Huic domus optatam nulla ferebat opem.
Hunc latebris nemo, tectisq; fouebat amicis,
Omnibus errabat ſpretus, egensq; locis.
At poſtq̃ priſci corruptis moribus æui
Simplicitas abijt mentibus illa prior:
Iamq; Patrum vulgo reuerentia vilis haberi
Et cœpere palàm fanda nefanda geri.
Cumq; latrocinijs cædes, & ſtupra vagari
Et ſacra crudeli ſub pede iura teri.
Scilicet & ſceleri ſocias coniungere vires,
Seditioq; potens cœpit habere caput.
Tunc Deus Heroum præcinxit robore mentes,
Impulit & validas in noua bella manus.
Vt frenum inijcerent reprobis, premerentq; rebelles,
Sontibus & ferro vindice iura darent.
Hinc natæ leges, hinc ſceptra potentia Regum,
Maieſtas opibus creuit & ampla ſuis.
Exerat hæc gladium, terrore coerceat ipſo,
Et cogat pœnis, verberibusq; malos.
Sed tamen & bonitas operi ſit miſta ſeuero,
Temperet ac lenis vim grauitatis amor.
Illa quidem ſemper facies erit optima regni,
Cui magis illa vetus forma paterna placet.

Quæ placido ciues ſtudet emollire fauore
Sponte ſua faciles vt pia iuſſa colant.
Nec vim, terroremq́; parat, niſi quando neceſſe eſt
Acrius indomitis impoſuiſſe iugum.
Imperium quos lene nequit cohibere regentis,
Vt victi cedant, perdomitiq́; malis.
Hanc ſtatuit Natura ſuo moderamine legem,
Pinxit & in noſtro regia iura ſinu.
Namq́; duæ certo ſunt huic diſcrimine formæ
Ad regimen vitæ quas dedit alma parens.
Prima Voluntatis moderamina lenius inſtant,
Vt poſſint ſuaſu flectere corda ſuo.
Ira nocet, crimenq́; parit, fuge dedecus iræ:
Sordet auarities, mens ſit auara procul.
Mœror obeſt animæ, depaſcit corporis artus
Mitte malas curas, triſticiamq́; fuge.
Sic animi ratione ſtudet componere motus,
Sauciaq́; affectu corda leuare ſuo.
Hæc ciuile tibi notat, imperiumq́; paternum
Hæc ratio reges inſtruit arte bonos.
Quos Patriæ decet eſſe patres, & mollibus vti
Sceptris, ne ciui ſint oneroſa ſuo.
Altera vis grauior Naturæ lege coorta eſt
Quæ tenet officio membra coacta ſuo.
Nequitiæ ſtimulis ne prona in crimen agantur,
Et laxent ſceleri, flagitioq́; viam.

Hæc

Hæc eſt quæ ſeruis freno dominatur herili
Dura, ſed iniuſtis iure timenda viris.
Sentiat hanc petulans audaci pectore vulgus
Quæq; rudi ceruix ruſticitate riget.
Impatienſq; iugi, mores detrectat honeſtos,
Si ceſſent domini lenta flagella ſui,
Aptior illa prior regni felicis habenis,
Et ſtabilis populi durat amore ſui.
Hæc ſi fortè bonos nimium premat aſpera ciues,
Impia pro regni iure tyrannis erit.
Vtq; odio eſt triſti circumuallata ſuorum,
Stare diu trepido ſic pede firma nequit.
Vir bonus & prudens diſcrimina talia nouit
Hinc & iudicium temperat arte ſuum.
Vt ſit conſilijs ſemper melioribus author
Quæ ſine vi rigida dent pia iura bonis,
Vtq; gerat placidos humano pectore vultus,
Et ſtudeat miti comiter ore loqui,
Quæ faciles hominum poßint inflectere ſenſus
Regis & obſequio conciliare ſui.
Talis Paſelicæ gentis decus optime Caſpar
Cum tibi ſit morum dexteritate lepos
Suauiter & Charitum decoret tibi gratia pectus,
Fundat & eloquio dulcia verba tuo:
Tu meritò placidi Regis dilectus in aula,
Conſilijſq; bonis aſſociatus ades.

Hic benè de Muſis, ac relligione mereris,
Et ſtudium pacis, iuſticiæq́ foues.
At Rex, & fidos Reſpublica grata labores,
Et pleno ingenium comprobat ore tuum.
Viue, Vale, noſtramq́ ſimul bonus accipe Muſam,
Pectoris humani qua pietate ſoles.

AD REVERENDVM ET PIVM VIrum Dominum M. Chriſtophorum Knoph, aulæ regiæ Eccleſiaſten.

ELEGIA VI.

Hanc tibi per Chriſtum mitto vir docte, ſalutem,
Cuius es eloquij munere præco tui.
O felix terris, & ſummo munus Olympo
Suſtulit auſpicij quod pia iura ſui.
Vtq́ venit cœlo, ſic monſtrat ad æthera greſſum,
Et docet æterni ſcandere regna Patris.
Vtq́ nihil melius, ſic nil operoſius illo,
Et verbi toto munus in orbe volat.
Mille vehunt linguæ veloci tramite Verbum
Chriſte tuum, & calami præpetis inſtar eunt.
Per populos Verbum, per regna, per oppida currit,
Et rutili impleuit ſolis vtramq́ domum.
Venit ad hybernum Boream, ſeptemq́ Triones,
Venit & Auſtrino ſubdita regna polo.

Nec

Nec tantùm curſu, ſed pollet viribus ipſis,
Atq; Gygantææ robora molis habet.
Hinc eſt, pro foribus paßim quòd templa tueri
Conſpicitur picti grandis imago viri.
Chriſtophorum dixere patres, is grande per æquor
Fluctiſonas calcat ſtipite nixus aquas.
Atq; humeris puerum geſtat, mirabile dictu,
In paruo pueri corpore pondus ineſt.
Nam cœlo & terra grauius ſibi ferre videtur
Hoc onus, & preſſus penè labare Gygas.
Quem pelagi circum rictu fera monſtra minaci
Per freta ſalſa natant, terrificantq; virum.
Se tamen innixus trunco ſuſtentat, & vndas
Exuperat victor, ſæuaq; monſtra maris.
Quid quod & hic truncus mox germinat aridus antè,
Incipit & fructus arbor habere nouos.
Præuius ante virum greſſus demonſtrat eunti,
Et luſtrat lychno littora curua ſenex.
Vtq́; iter abſoluat, victum quoq; pera Gygantis
Et piſcem, & cereris farrea liba gerit.
Quid ſibi vult moles & vaſti corporis Heros?
Aut qualem nobis ſignat imago virum?
Scilicet in trepido qui portat pectore Chriſtum,
Præconem ſacri denotat eloquij.
Multa pio myſtæ ſubeunda pericula rerum
Multus vbiq; metus, multus vbiq; labor.

Hoc ſignant fluctus, pelagiq́ minacia monſtra,
Fert quibus in medijs arduus ille gradum.
Aſt animi procera notant tibi corpora robur,
Quo victor rerum nulla pericla timet.
Quid tamen hic pueri queritur de pondere tanto?
Curue puer Chriſtus, membraq́ parua Deo?
Ille quidem puer eſt humano corpore natus,
Nunc & adhuc regnum ceu puerile gerit.
Exigua eſt Chriſti collata potentia Mundo,
Et Rex imbelli cingitur iſte grege.
Sed grauis eſt nimiumq́ puer premit iſte Gygantem:
Sæpe ſuos terret Chriſtus & ipſe premit.
Cum velut iratos miſeris auertere vultus
Creditur, & nullam ferre vocatus opem.
Attamen eſt arbor, gradiens qua nititur Heros,
Hæc ſignat Verbi corda leuantis opus.
Haurit ab ætherio Chriſti ſolatia verbo.
Fertq́ pius myſtes omne decenter onus.
Arida cur arbor? vis eſt abſcondita verbi:
Hoc Mundi irridens impia turba furit.
Cur floret? tandem ſacri vis cognita Verbi
Germinat, & fructus vtilitate parit,
Quis præit ille ſenex? priſcos agnoſce Prophetas,
Fatidico Chriſtum qui cecinere ſono.
Ducit ad hunc igitur, cœci per nubila Mundi,
Illorum rectum præuia lampas iter.

Poſtremò pera quæ clauſa viatica geſtat?
Quidue notant piſces, quid tua liba ceres?
Ne ſacer Antiſtes verbi, de munere victus,
Addubitet, largam fert pater almus opem.
Hunc & multa premat quamuis penuria rerum,
Deſtituet nunquam prouida cura Dei.
Talia Chriſtophori ſub imagine docta vetuſtas
Prodidit in dulces ingenioſa typos.
Quæ tibi dum memoro, me nominis admonet omen,
Vt fore noſtra tibi carmina grata putem.
Tu quoque Chriſtophorus verbi ſacra dogmata præco
Doctiloquo conſtans fortiter ore vehis.
Et quamuis Mundi non ſæua pericula neſcis,
Quodque geris durum muneris huius onus:
Te bonitate Dei, verbo ſolaris & ipſo:
Quamque doces alios, hinc petis ipſe fidem.
Nec te deſtituit diuini cura parentis
Sed tribuit vitæ proſpera dona tuæ.
Halcyonesque fouet medio velut æquore bruma
Quà natis tutum compoſuere larem.
Sic modò Daniaci placido ſub principe regni
Dat tibi tranquilla pace domoque frui.
Et Rex diuini foueat cum dogmata verbi,
Te probat, & cupidè pendet ab ore tuo.
Viue diu grata ſtatione, fideliter iſtud,
Quod geris, officium, Rege fauente, geras.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Et Rex, atq; potens, fortiſſima Dania, regnum
In Chriſti ſacrum ſeruiat vſq; decus.

AD NOBILEM ET PRÆSTANTEM Virum, Dominum Abſolonem Iulium R. M. Secretarium præcipuum.

ELEGIA VII.

Matris Eleuſiniæ qui myſtica ſacra colebant,
Quà tenuit priſcos Attica terra lares:
His linguæ iurata fides, moremq́; referre
Grande nefas tacitæ relligionis erat.
Non ita de Chriſti quæ nomine clara per orbem
Relligio lucem ſparſit vbiq; ſuam.
Hanc prodire Deus, linguisq; implere ſonoris
Purpurei voluit ſolis vtramq́; domum.
Scilicet vt mundo luceret, & omnibus oris
Extaret laudis publica fama ſuæ.
Vtq́; ſalutifera quæ donat munera dextra
Nota palàm, cunctis accipienda forent.
Æquius hac quid lege Dei? nos ſeruet vt omnes,
Omnibus agnoſci vult & honore coli.
Ergò etiam ſcelus eſt æterna morte piandum
Chriſte, dolo nomen diſsimulare tuum.
Hoc ſcelus vt fidi vitarent martyres olim
Non ferro, flammis non timuere mori.

Sic rex ætherius: qui terrea regna gubernant,
His ſua diuerſæ lex rationis adeſt.
Perfidiæ vulgata via eſt, & crimine mundi
Mille dolos Sathanas proditione ſerit.
Ardua magnorum turbare negocia rerum
Omnibus & regnis poſſe nocere ſtudet.
Hinc mos & ratio poſcunt, & publica Regum
Vtilitas, linguæ conſilijq́ fidem.
Atq́ arcana ſui qui callent principis, illa
In tacito debent condita ferre ſinu.
Hîc vel Eleuſiniæ præſtare ſilentia matris,
Expediat Samij vel ſenis arte regi.
Ficta ſuperſtitio, tetriciq́ valete Magiſtri
Triſte ſupercilium, iuraq́ muta ſcholæ.
Sed tamen hic ratio monet, hîc prudentia rerum
Clauſa velut rigida labra tenere ſera.
Ergò ſit ingenio quiuis facundus aperto
Quà lepor humani pectoris ipſe feret.
Nec dubitet Chriſti quæ publica ſacra, referre:
At fidus Regi, ſit tacitusq́ ſuo.
Abſolo Iuliades, virtute probatus ab iſta,
Iure placet Regi, Dania magna, tuo.
Vt placeat ſemperq́ pij decoratus amore
Principis, & multo creſcat honore, precor.
At tu ſublimi Friderici Regis in aula,
Abſolo, cui celebrem fata dedere locum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Artibus ingenuis excultus, amare Camœnas
Et Clarium mitis perge fouere chorum.
Inde tuum nomen florebit, & ampla per æuum
Virtutis ſurget famà decuſq; tuæ.

AD NOBILEM ET PRÆSTANTEM Virum, Dominum Eliam Eiſenbergium R. M. Secretarium Teutonicum.

ELEGIA VIII.

EST ferri de monte tibi graue nomen Elia:
Si ſinis, expediam, nomen id unde feras.
Non tibi quòd durum cingat præcordia ferrum
Aut rigeant mores aſperitate tui.
Sed tamen ingenuæ quod te conſtantia mentis,
Et grauitas ornet pectoris ipſa tui.
Quæ tibi de ſolido venerunt nomina ferro,
Conueniunt laudi, ceu reor, apta tuæ.
Ergò quid vtilius Virtute aut pulchrius iſta?
Officio conſtat quæ ſibi firma ſuo.
Iuſticiam, rectiq; ſequens, veriq; tenorem
Conſilium hac norma dirigit omne ſuum.
Suſceptos vrgens & ſedulitate labores
Exoluit certa debita penſa fide.
Nec leuis ad luſus, nec inani turgida faſtu,
Obſeruat tutas inter vtrumq; vias.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Sermones, animum, mores & corporis artus
Atq́ʒ habitum & geſtum qua decet arte, regit.
Temporibusq́ʒ, locisq́ʒ & cunctis congrua rebus,
Omnia naturæ conuenienter agit.
Hæc te conſpicuum virtus cum reddat Elia,
Iure tibi gratum celſa dat aula locum.
Et Regi magnisq́ʒ viris tua vita probatur
Quæ grauitate pia eſt, & pietate grauis.
Sis grauis, & ferro tunc ſtet tua durior ipſo
Cum mens officij iura fidemq́ʒ tenet.
Sic te conſtanti Rex integritate probatum
Diligat, & mores laudet ametq́ʒ tuos.
Det quoq́ʒ munifica, laudato præmia dextra
Eſt dare magnanimi qualia Regis opus.
At ferrum, & ſilices tunc miti corde recedent,
Mollibus & fibris pectora laxa geres.
Cum res Pieridum præſtare monebit amorem,
Aonijq́ʒ decus dulce fouere chori
Nam decet ingenuis nutritia dona Camœnis
Reddere, nec mites deſeruiſſe Deas.
Per quas in ſtudijs nutrita eſt molliter ætas,
Florida quæ primum laudis iniuit iter.
Hæ quoq́ʒ laude ſenes ornant, nomenq́ʒ perenne
Donant à ſera poſteritate legi.
Hæc igitur merces tibi quò contingat Elia
Sis, quod es in mites mitior vſq́ʒ Deas.

Intereà cum prole tua, cum coniuge ſoſpes
Quam decorat pietas, forma pudorq́ꝫ, Vale.

AD CONCORDIAM.

ELEGIA IX.

FElices quos alma tuo Concordia nexu
Ceu pia fraterno mater amore ligas.
Quos iuuat vnanimes ſuperûm decreta tueri;
Atq́ꝫ fouere ſacrum relligionis opus.
Et quibus alma pari regitur Reſpublica voto,
Ipſaq́ꝫ priuatæ cura laborq́ꝫ domus.
Hos Deus ex alto fortunat & auget Olympo,
Rebus & è paruis ſurgere magna facit.
At quæ diſsidijs perturbat cæca cupido,
In nihilum verſa maxima ſorte ruunt.
Salue Diua parens & nutrix optima rerum,
Irriguum dulci rore peruncta ſinum.
Quo vegetas & cuncta foues, velut vuidus Hermon
Aërio lætas vertice fudit opes.
Qualis odorato perfuſus balſama riuo,
Sacra Deo Solyma Præſul in vrbe tulit.
Quem pater è celſo mitis reſpexit Olympo,
Placatoq́ꝫ pias audijt ore preces.
Vnde fluens regno diuini munus amoris,
Iſacidum fauſta ſorte rigauit agros.

Talis erat felix, per te, cuſtode Luthero,
Doctorum vnanimi Teutona terra ſono.
Salue, iamq́ꝫ Vale pariter dulciſſima rerum
Quò procul à nobis heu fugitura parens?
Nam rate ceu dubia iactatos æquore nautas
Turpiter huc illuc ventus & vnda rapit.
Sic rixis turbata ſuis nunc fluctuat omnis
Diuiſo fidei Teutona terra ſono.
Pharmaca promittunt multi, ſed pharma a rixæ
Hæc quoqꝫ materiem cernimus eſſe nouæ.
At tu ſi molli concordia ſ de latere
Expetis, & tutus pace tenere domos:
Inuenies iſto quæ poſcis commoda, regno
Quod modò Danorum rex Fridericus habet.
Concordes moderere diu Rex optime Danos,
Viuat & imperij gloria celſa tui.

AD PACEM.

ELEGIA I.

MArs pater armorum toto iam ſæuit in orbe
Nulla ferè bellis triſtibus ora vacat.
Cum Sueco Moſchus, cum Moſcho dura Polonus
Bella gerit, Martis vulnere Liuo iacet.
Inſtat, & in Belgas ruit impacatus Iberus:
Belga ſuas forti Marte tuetur opes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Viedimus infeſtis Gallos concurrere ſignis
Dum lacerant patriæ viſcera cara ſuæ.
Perdidit orba ſuum bello Luſitania regem
Prædaq́ue vicinis facta cruenta fuit.
Parte alia Mauri ſpolijs lætantur opimis,
Atque inhiant regnis fortis Ibere tuis.
Quid loquar Auſonijs Turcam, ſceptroq́ue minantem
Romuleo, & regnis Teutonis ora tuis
Illius immodicas vires, furiasq́ue paueſcit
Iam iam turbatis Rhenus & Iſter aquis.
Et veniet, niſi cauta manum Germania iungis
Diſcordesq́ue tuas dilaniabit opes.
Intereà pax alma quibus requieſcere terris
Et poteris larga ſpargere dona manu?
Dona quibus regni floreſcunt diuitis vrbes
Dona, quibus Cereris rura beata vigent.
Dona quibus plaudit pietas, dulcesq́ue Camœnæ,
Et tollunt leges & ſacra iura caput.
Rex eſt Danorum bello fortiſſimus heros,
Hoſtibus & notus vindice Marte ſuis.
Sed pius & placidus pariter, nec munera pacis
Abnuit, vt regno conſulat ipſe ſuo.
Hunc igitur Pax alma petes, hoc tuta latebis
Rege, nec hoſtili concutiere metu.
Proteget inuictæ valido te robore dextræ
Nec pelli patrio te ſinet ipſe ſolo.

At

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

At tu Chriſte faue, pacis quo Dania cuſtos
Omnia vel uincat, nullauè bella ferat.

LIBER QVARTVS CONtinens Elegias ad Viros illuſtres, & amicos in Dania.

AD NOBILEM ET MAGNIFICVM VIrum, Dominum Carolum Danzæum Inclyti & potentiſſimi Regis Galliæ legatum.

ELEGIA I.

CArole Danzææ Virtus & gloria gentis,
O & amor Charitum, Pieridumq́ decus.
Quale ſono cytharæ delectat amabile carmen,
Quod ciet arguto pectine docta manus:
Talis in harmonia cordis cum mente voluptas,
Iura voluntatis cui ſociata vigent.
Hæc fuit in primo quondam tum dulcis Adamo
Temperies, culpæ cum ſine labe fuit.
Mens erat ad ſummum verè directa parentem,
Læta Creatoris cognitione ſui.
Mox huic ſe ſocia ſubiecit lege Voluntas
Iuſticia uenerans & pietate Deum.
Nec minus in ſtudio benè conſpirabat eodem
Autoris flagrans pectore amore ſui.

At poſtq́; triſtis primæuum culpa parentem
Impulit, euerſa relligione Dei.
Concidit harmoniæ turbatus nobilis ordo
Et veterem amiſit diſſona chorda ſonum.
Mens oblita Deum, cœcis obducta tenebris,
Poſt nugas cœpit Numen habere ſuas.
Ipſa Deo, fragiles curas, auerſa voluntas,
Et ſpes eſt vani vana ſecuta boni.
Mille vagis titubans cor motibus omnia mentis,
Iuſſa voluntatis ſpreuit & ipſa ſuæ.
Sic vbi præcipites aufert rectoris habenas
Indomitus freno nec retinetur equus:
Fertur in arua volans, rapidoq́; per auia curſu
In furias ardens & ſua fata ruit:
Ergò ita peruicit multos ſcelerata cupido
Vt tentent quoduis corde furente nefas.
Hinc eſt verſutus turpi quòd fraude Lyſander
Ius violat, recti ſpernit & omne decus.
Et periuratis augens ſua commoda Diuis,
Illudit ſanctum relligionis opus.
Hinc eſt quòd Perſis, totaq́; Oriente ſubacto,
Pellæus iuuenis rex nequit eſſe ſui.
Inſanumq́; trahens, Baccho ſuperante furorem
Perpetrat heu tanto multa pudenda viro.
Quid loquar? vt tantis ſuccedens bellua regnis
Cambyſes patrias dedecorarit opes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Auſus hic incœſtu propriam fœdare ſororem,
Poſtmodò fœdatam ſuſtulit enſe ſuo.
Auſus hic ex ipſis defoſſa cadauera tumbis
Eruere, & furijs conſcelerare ſuis.
Auſus hic iniecta viuorum corpora terra
Defodere, & miſeris preſſa necare modis.
Quid, iaculo natum feriens ante ora parentis,
Præmia cum fido reddit acerba duci?
Horreſco, ſimiles, cum mente reuoluo tyrannos,
Monſtraq; non hominum commemoranda loco
Ipſe furor Satanæ quos ſic manifeſtus adegit
Inſolitas ſcelerum multiplicare vias.
Eſt tamen & fateor quidam reſpectus honeſti.
Mentibus & paruæ flammula lucis ineſt.
Cernere quæ laudis decus, & virtutis amorem
Concipere, & moneat corde animoq; ſequi.
Nec dum ſic hominum penitus ſublapſa voluntas
Ius libertatis perdidit omne ſuæ:
Quin colere egregios cordato pectore mores,
Et poßint vitijs ponere frena ſuis.
Hinc probitas multis, clarumq; modeſtia nomen
Attulit ingenij commoditate ſui.
Qui vel ciuilis ſectati munera vitæ
Vel Sophiam doctis excoluere ſcholis.
Extulit & quoſdam ſtimulis heroica virtus
Altius vt poſſent ſcandere laudis iter.

Iuſtus Ariſtides ſic omni claret in æuo:
Sic Epaminondæ Pelopidæq́; fides.
Vnanimi patriam qui dum tutantur amore
Intrepido ſubeunt cuncta pericla pede.
Magnanimis belli ſic Scipio fulmen in armis
Laudatæ pariter fulget honore togæ.
Quem non vlla valent incendere probra malorum,
Otia quò patriæ rumpat amica ſuæ.
Quis te cultorem recti, paruoq́; beatum,
Aut taceat laudes Curio magne tuas?
Oblatas qui ſpernis opes, auroq́;, nefandæ
Victor auaritiæ, pectora clauſa geris.
Cui non luxuriam Cato deteſtatus inertem
Perpetua conſtans integritate placet?
Lælius aut animi ſpecimen prædulce modeſti,
Quem nullæ capiunt ambitione faces.
Sed tenet hæc etiam ſub crimine labis, & atris
Pectora nox tenebris tàm generoſa premit.
Non illis in mente Deus prælucet, & ipſum
Prætereunt ſummum neſcia corda bonum.
Vmbra iuuat, ſpecieſq́; bono blanditur inani,
Finibus anguſtis quod ſua meta capit:
Aut decus, & pariens laudatum gloria nomen,
Aut ſpe corda mouens vtilitatis amor.
Hoc ſeſe exercens hominum ſapientia gyro,
Nil vltra terræ commoda fluxa ſapit.

Intereà prauis ludens affectibus error
Vrit & hos vitijs multa cupido ſuis.
Aut tandem Tragico comitantur fata tumultu
Vitaq; cum gemitu transuolat orba Deo.
At tibi laus ſuperi proles æterna Parentis,
Multaq; ſit meritis gratia Chriſte tuis.
Sordida deterſæ qui purgas crimina labis,
Noſtraq; de Stygia pectora nocte leuas.
Ergò tua placidum iam cernere luce Parentem
Et datur ad verum mente redire Deum.
Omnis ad illius quò conſonet actio laudem
Qui caput eſt ſummi principiumq; boni.
Huic vt ſe penitus conformet noſtra voluntas,
Ipſius è Verbo dogmata ſancta capit.
Corq; Voluntatis ſtudio, ceu nobile plectrum,
Congruit ad verbi dulce piumq; melos.
Dum ſimul impellit cœleſti ſpiritus aura,
Concentusq; noui ritè magiſter adeſt.
Et quamuis infirma grauat nos ſarcina carnis,
Et furtim vitijs annuit illa ſuis:
Ardua perrumpit magno conamine lucta,
Spiritus vt victa carne trophæa paret.
Talis Niliacis caſtus Ioſephus in oris
Illecebras Dominæ reſpuit atq; minas.
Talis in Aſſyria Daniel Babilone triumphum
Euicta conſtans impietate tulit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Tharſiades ſic ſacra ferens oracula Paulus
Poſtpoſuit culto cuncta pericla Deo.
Nec tamen eſt ſemper fas ſpernere commoda vitæ
Carpere vel ſalua quæ pietate licet.
Ipſe gerit Daniel, pius & Ioſephus honores
Legitimoq; ſuas fine tuetur opes.
Dum modò non ipſum ſancti violemus amorem
Numinis, his certa quis vetet arte frui.
At quæcunq; bono pugnant contraria ſummo
Illa procul valeant heu maleſuada bona.
Siue iubent aras venerari Idola prophanas
Seu ſub auaritiæ fraus vocat atra iugum.
Seu leuis extimulat falſorum fucus honorum
Siue voluptatum luxus amore trahit:
Harmoniam coniuncta Deo conſtantia mentis,
Peſtibus his, ſeruet, non capienda, ſuam.
Sic datur innocui ſacraria condere cordis,
Numine quæ pietas incolat alma ſuo.
Sic datur æternæ ſedes ac præmia vitæ
Iam nunc terrena quærere poſſe domo.
Hæc ego dum meditor, noſtræ tu Carole Muſæ
Exemplo luces ceu Cynoſura tuo.
Quo melius cultis nil Gallia protulit oris
Quo nil aut bonitas mitius ipſa videt:
Sic in te menti conſpirat amica Voluntas
Corde tuo recti ſic pius ardet amor,

Quid loquar Aonidum cultus? linguæq́ diſertæ,
Prudentisq́ animi, conſilijq́ decus?
Quid Charitum molli collatas pectore dotes
Vſibus humani munificiq́ viri?
Quæ te Parrhaſia celebrabunt clara ſub Arcto
Tot decora, atq́ animi candida dona tui.
Balthica Parrahſias dum Tethys abluet oras,
Dumq́ Arar & Rhodanus Celtica rura petet.
Viue diu venerande ſenex his lumen in oris
Inq́ tuo Chriſti pectore regnet honor.

AD NOBILEM ET GENEROSVM VIrum Dominum Tychonem Bracheum, Mathematicum inſignem.

ELEGIA II.

Astra Deum monſtrant & lucida machina cœli
Teſtatur magni grande Parentis opus.
Ordine qui miro tantos contexuit orbes,
Condidit & laudis pulchra theatra ſuæ.
In quibus æterno durat conſtantia motu,
Et certas certa temperat arte vices.
Cumq́ duo verſent diſcordes æthera motus
(Conficit hic rapidum, lene ſed alter iter)
Vtile diſsidium cunctis dat commoda rebus
Et pax ex ipſa proſperalite venit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Aureus in medio Rex vt dominatur Olympo,
Et miſcet curſus Phœbus vtrinq; ſuos:
Legibus alternis noctemq́; diemq́; reducit,
Et variat ſpatijs annua iura ſuis.
Et modò progrediens ſummo cunctanter Olympo
Signa per æſtiuo vertice tarda meat.
Et modò cum propior terras, hybernaq́; luſtrat
Sydera, feſtino promouet axe rotam.
Nunc & ſolſtitijs metam moderatur equorum,
Tempora nunc lucis noctibus æqua facit.
Hunc chorus aſtrorum famulo comitatur & ortu
Atq́; obitu, ſeruans, quas iubet ille, vices.
Cumq́; opus eſt pluuijs, vt molliter arua rigentur
Et ſeges humenti conſoueatur humo:
Ingreditur Titan candentis cornua Tauri,
Atq́; Hyadum nimbos, Pleiadumq́; ciet.
Cumq́; opus eſt æſtu, qui ſiccas ventilet auras
Flauaq́; maturis frugibus arua coquat.
Magnanimi tunc fulua premit ſol terga Leonis
Vrit & exortu Sirius arua ſuo.
Mox redit Autumuus, ſimul udo Scorpius aſtro
Laxans hybernis irrigat arua ſatis.
Tu Capricorne ſubis vinctas qui frigore terras
Depoſitum gremio ſemen habere iubes.
Poſt hyemem exactam quò germine prodeat almo,
Cum viridis læto vere tepeſcit ager.

Cæterea nec ceſſant aut tempeſtiua calorem,
Aut ventum, aut ſiccum ſydera ferre ſolum.
Omnia diſpoſuit quæ ſic pia cura Parentis,
Vt ſapiens certæ luceat artis opus.
Ingentemq́; ſuæ monſtret bonitatis amorem,
Qua nos & pariter cuncta creata fouet.
Quid referam Phœbo iunctum cum Rege ſenatum
Falcigerumq́; ſenem, pacificumq́; Iouem?
Regius eſt etiam Mauors in bella miniſter,
Qui cingit forti Principis enſe latus.
Et dominam Venerem ſecum, Lunamq́; ſororem
Iunxit, & his regno iura dat apta ſuo
E quibus hæc nocti ſua lumina præbet opacæ,
Atq́; citum rapidis menſibus vrget iter.
Et ciet humores, mutatq́; ex ordine vultus,
Naturam varijs afficit atq́; modis.
Eſt quoq́; facundus volucri Cyllenius aſtro,
Qui velut Orator regia iuſſa vehit.
Sic conſtat ſuperi facies pulcherrima regni
Iuraq́; ſydereo cernimus alta polo.
Hic quibus inferior ſub Luna vertitur orbis,
Largaq́; cœleſti munera luce trahit.
Aſt etiam pœnas heu triſtia ſigna minantur,
Quæ Sol, & certo tramite Luna vehunt.
Cumq́; ſuos atra velant ferrugine vultus
Damnum interceptæ non leue lucis adeſt.

Felices

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Felices animi, quibus hæc inquirere primum
    Ætheris & leges cura notare fuit.
Ipſe Deus certé ſtudijs eſt talibus author,
    Et mouit ſtimulis pectora celſa ſuis.
Abdita quò poſſent tantarum euoluere rerum,
    Atq; hominum generi pandere fata poli.
Scilicet & monitos, fama eſt diuinitus olim
    Hæc ſtudia antiquos excoluiſſe Patres.
Has pater Enochus, Semusq́;, Nohasq́; per artes
    Dicitur & Tarides inſtituiſſe ſuos.
Sic caput inſigni Thales Mileſius arte,
    Extulit aſtrorum ſic caput arte Methon.
An decus heroum taceam? Bæotus Orion
    An non hac ſuperas attigit arte domos?
An non cœlum humero geſtat Mauruſius Atlas?
    An non & Chiron ſydera celſa tenet?
Qui fuit ingenio magni præceptor Achillis,
    Aſtrorum ſtudijs clarus & arte Lyræ:
Ecquis ab exemplis iam talibus eſſe pudendum
    Crediderit ſtudio ſydera noſſe ſuo?
Non ita: ſed ſummum decus eſt hinc noſſe Parentem,
    Hinc patet æterni gloria celſa Dei.
Hinc ſacra Maieſtas, bonitas hinc Numinis almi,
    Conſpiciturq́; pij prouida cura Patris.
Ergò hominum generi, quò cernere ſydera poſſet,
    Sublimes oculos, oraq́; celſa dedit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Acribus & vires animis atq; addidit alas,
    Vt valeant ſuperas ſcandere mente domos.
Hoc decus, hanc pulchram generoſo pectore laudem
    Tu quoq; Parrhaſio Tycho ſub axe colis.
Dumq; alios ſegni iuuat otia carpere luxu,
    Et noctem poſito peruigilare mero,
Aut talos quaſſare leues, pictauè papyro
    Damna lucro, damnis & lucra miſta ſequi,
Aut canibus lepores agitare, & retia ceruis
    Tendere, vel rigidi figere pectus apri:
Tu ſolis ſcrutaris iter, Lunæq; meatus,
    Et quid blanda Venus, Mercuriusq; paret.
Et quò Saturni ſe frigida ſtella receptet,
    Iuppiter aut placidus, Marsuè quid acer agant.
Quin etiam ſeruas pluuialis ſigna Capellæ,
    Et petulans hœdos, nimbiferumq; genus.
Enſifer & quantos imbres portendat Orion,
    Stella quid Arcturi, quid Lyra curua vehat.
Defectus etiam Solis, Lunæq; labores,
    Atq; Cometarum triſtia ſigna notas.
Atq; mones cœcos Mundi vitare furores,
    Dum ruit in clades turba prophana ſuas.
Adde quod herbarum vires, vſumq; medendi
    Phillyridæ tractas doctus ab arte ſenis.
Illius & pariter vocalia plectra capeßis,
    Fundis & Aonia carmina culta lyra.

Ergò

Ergò velut Chirona ſuum dilexit Achilles
Artibus, & tanti captus amore viri:
Sic te magnanimo Fridericus maior Achille
Daniaci rector diligit ipſe ſoli.
Sub quo turritæ reſidens in vertice Huenæ,
Mollibus in ſtudijs otia grata colis.
Quæ precor, vt ſerum tibi præmia laudis in æuum,
Multorum ſtudijs commoda grata ferant.

AD NOBILEM ET DOCTISSIMVM Virum, D. Eraſmum Lætum Theologum & Poëtam excellentem.

ELEGIA III.

Muſa Dei lætis deſcendit munere terris
Venit & è ſuperi vertice miſſa poli.
Vt caneret laudes, & ſummi facta Parentis
Pangeret ac ſacrum relligionis opus.
Vtq; tibi cantu grates pie Chriſte referret,
Cuius ab auſpicio turba redempta ſumus,
Ipſe ſacer ſupera nos aſſlans Spiritus aura
Carminis illius ductor & autor erat.
Talia fatidici cecinerunt carmina Vates,
Quos gens Hebræo ſanguine nata tulit.
Sic priſcus Moſes, cithara ſic luſit eburna
Ieſſææ quondam regia Muſa domus.

Talis

Talis Eſaias, talis modulamine ſacro
Ibat Anathotides triſtia fata gemens.
Sic quoq; Baptiſtæ genitor cœleſtia luſit
Carmina Zacharias, & tua, Chriſte, parens.
Ipſa modos dulces exercet carmine tali
Angelici, ſupera ſede, caterua chori.
Felices, quibus hæc imitari, carmina Diuûm,
Et datur ætherijs ludere digna choris.
Iſta pijs animis erit indefeſſa Voluptas
Auſpice cum Chriſto cœlica regna ferent.
Nec tamen intereà fas eſt contemnere Vates,
Quos dedit Auſonio Muſa latina ſono.
Aut antiqua ſuis quos protulit Hellas in oris,
Ingenio magnos, carminibusq; viros.
Addita ſic etiam numeris dulcedo Poëſin
Auxit, & hac ipſa carmina dote placent.
Harmonicis compacta modis ex æthere venit
Vis animæ noſtris inſita corporibus.
Ergò amat harmoniam, numeris, & carmine gaudet,
Hinc ſuaues motus, illecebraſq; capit.
Diſcere ſic melius, facili quæ carmine conſtant
Firmius & memori mente tenere datur.
Hoc quia perſpexit ſapiens & docta vetuſtas
Carmine res magnas tradere cura fuit:
Iſtaq; tunc priſcis fuit area trita Poëtis
Laus quibus & Sophiæ nomen ab arte fuit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Carmine Diuorum laudes, mare, ſydera, cœlum
Carmine magnorum facta referre virûm.
Carmine complecti, quicquid memorabile, quicquid
Ad cultum docti pectoris arte facit.
Hæc genitus Phœbo Linus, hæc Muſæus & Orpheus,
Iſmariæ cecinit gloria prima lyræ.
Cumq́ ſacra Minyas inter veheretur in Argo
Diſſidioq́ ducum turba coorta foret:
Puppe ſedens altas placabat carmine mentes,
Et lis concordi diſſona victa ſono eſt.
Namq́ canebat, vti magni primordia Mundi
Contulerint formam rebus habere nouam.
Vtq́ Pater lucis Phœbus, curſusq́ gubernet
Axe volans celeri menſtrua Luna ſuos.
Vtq́ Iouem ſuperis detrudere ſedibus auſa,
Titanum iaceat fulmine merſa manus.
Carmina quid docti Simonidis, aut tua dicam
Thebanæ fidicen Pindare culte lyræ?
Tu quoq́ Iuſticiæ leges, cultumq́ metumq́
Numinis, & recti præmia certa doces.
Tu ſcelerum pœnas, & triſtia fata ſub Orco,
Et ſæuam Nemeſin, Eumenidesq́ canis.
Tu decus & palmas heroum ad ſydera tollis,
Amplaq́ prælustri ſtemmata laude vehis.
Pro quibus officijs tibi præmia iure ferebat
Rex victor patriæ maximus ille tuæ.

Cumq́

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Cumq́; ferox miles ferro popularet & igni
Cadmæa quondam mœnia ſtructa manu,
Parcite, clamabat proles animoſa Philippi,
Parcite Pindaricas igne cremare domos.
Sit pax inſignis tectis, laribusq́; Poëtæ,
Iuris in hæc Mauors debet habere nihil.
Parcere nec tantum bello, ſed pace fouere
Muneribus Vates & decorare bonis,
Iſta Ducum quondam fuit, & clementia Regum:
Et tanto in precio docta camœna fuit.
Nunc res verſa retrò, nunc lapſi moribus æuo
Spernitur ars multis ingeniumq́;, locis.
Illaq́; ſub pedibus iacet heu diuina Poëſis;
Probraq́; in hanc turpi barbarus ore iacit.
Eſt tibi cum Muſis nil ſcilicet impie Cyclops:
Vtq́; putri ſordet gemma reperta fimo.
Quam fodiens gallus mallet cerealia grana
Sic Muſa ad ſtomachum non facit vlla tuum.
Hæc mihi dum iuſtum teſtata querela dolorem
Temporis iniuſti crimine mota venit:
Gratulor intereà tibi vir doctiſſime, cuius
Muſa ſub auſpicio præmia Regis habet.
Munifici Regis, placidè qui nouit honores
Ferre ſuos templis, Pieriſq́; ſcholis.
Qui titulo, cenſuq́; ſimul donauit, & auxit
Te vatem pulchra nobilitate ſuum.

Dania quo tantum præſtanti gaudet alumno
Quantum Virgilio regna latina ſuo.
Ergò tuo Clypeo niueos iam cernis olores,
Et nitet Idalijs conſitus ille roſis.
Cygnus Hyperboreis ales notiſsimus oris
Symbola doctiloquis Vatibus apta gerit.
Vt vates, blandum ſic almæ pacis amorem
Cygnus, & Aonides mitis vterq; colit.
Sed tamen & pollet robuſto pectore cygnus,
Atq; laceſsitus fortiter arma gerit.
Illum non Aquilæ pennis, non vnguibus uncis
Deijciant, victus fulminis ales abit.
Tu quoq; dulce canis, tu forti pectore Danum,
Cygneo præſtans robore, Læte geris.
Et te barbaries, mendaxq; Sophiſtica cedat
Vindice, cum iuſtus ſuggeret arma dolor.
Nec roſa, fragrantem capiti quæ mittit odorem
In decus eſt laudis non benè lecta tuæ.
Vtq; animi virtute tui, ſic ſpirat in auras
Iam tibi victuro carmine ſuauis odor.
Carpe ſacras bone Læte roſas, & paſcere lauro
Et decus in Patriæ viue beatus olor.
Atq; immortali felix poſt funera cantu
Nereidum penetres, Pieridumq; domos.

AD RE-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

AD REVERENDVM ET DOCTISSImum Virum, Dominum Andream Laurentium ſacræ Theologiæ Doctorem, & Profeſſorem in Academia Haffnienſi.

ELEGIA VI.

DVm te facta iuuat Solymorum euoluere Regum
O decus Haffniacæ vir venerande ſcholæ.
Me ſacra delectant Ieſſææ carmina Muſæ,
Pſalmographiq; lego nobile vatis opus.
Seruit vterq; labor ſic relligionis honori:
Sit licet haud noſter par labor arte tuo.
Illic conſpicitur, proſint quid facta bonorum,
Et niteant cultæ quæ pietatis opes.
Hîc ſacris minitatur idem quoq; vocibus heros
Deteſtans regnis corda inimica ſuis.
Quid valeant ſanctæq; preces, & vota piorum
Quid ſpes in ſummum certa fidesq; Deum:
Illic hiſtorico curſu veſtigia monſtrant
Vſus & exemplis non dubitandus ineſt.
Hîc ardent ſperantq; preces, & vota piorum,
Et ſpes in viuum viua fidesq; Deum.
Illic qui vero reſipiſcunt corda dolore
Narrantur rebus conſuluiſſe ſuis.
Hîc lachrymæ, gemitusq; patent, planctusq; ſonori,
Quos conuerſa pio corda dolore trahunt.

Me miſerum, tantis cur ſum conatibus impar?
Et moles humeros aggrauat iſta meos.
Non animus Pſalmis, pietas non ſufficit ipſa,
Quæ viuum ſacris ſenſibus addat opus.
Si laudanda minus, tamen excuſanda voluntas
Eſt mea, quæ ſtudium tentat obire pium.
Me iuuat hoc certè, ſubeo quodcunq; laboris:
Et mihi nil Pſalmis dulcius orbis habet.
Quis Pſalmos non lætus amet niſi ſtipitis inſtar,
Aut hoſtis ſanctæ relligionis eat?
Pſalmus habet laudes, & Numinis ornat honorem,
A quo vita pijs, auxiliumq; venit.
Læticia Pſalmus rebus dat verba ſecundis,
Et grates dulci voce referre docet.
Aduerſis idem præbet ſolatia rebus,
Et ſpe non dubia pectora mœſta leuat.
Pſalmus ad orandum mentes componit & ora,
Atq; implorato fert bona cuncta Deo.
Numina ritè vocans, idem mala cuncta repellit,
Atq; in vtrumq; preces, & pia vota facit.
Vota quibus pulſi rabies concedit Auerni,
Et fugiunt ſtygij triſtia monſtra lacus.
Vota quibus ſuperi fratres pernicibus alis
Angelico ſociant robur opemq; choro:
Vota, quibus coniuncta ſuas Eccleſia voces
Æternum perfert iugiter ante Deum.

Hic quoq; fatidicæ releges oracula linguæ,
Quæ tibi de Chriſto multa futura canunt.
Nec melius præſens, cum facta exponeret, ætas
Hiſtorico potuit viſa referre ſtylo:
Quàm Pſaltes ventura canit: ſeu funera Chriſti
Siue reſurgentis pandit ad aſtra decus.
Seu canit, vt ſancto fidens Eccleſia Regi,
Huius in aduerſis tuta perennet ope:
Colligat & cœtus terrarum ex omnibus oris,
Vox Euangelij quà veneranda ſonat.
Quid? tibi quæ Pſalmus vehit aurea dogmata rerum
Complectens paruo Biblia tota libro?
Quæ vis condiderit mundũ, quæ Numine certo
Hunc regat æterni prouida cura Dei.
Vndè hominum triſti pereat gens obruta fato,
Et peccata trahens, & graue mortis onus.
Quid veniam donet lapſis, quid munere Chriſti
Iuſtifica renouet pectora ſalua fide.
Quæ verbi Virtus, quo ſacri Flaminis igni
Mota petat rectum mens pietatis iter.
Quos habeat proprios verax Eccleſia cultus,
Fila Dei verbum non dubitata ſequens.
Qualiter in medijs vitæ defenſa periclis,
Ad ſuperi tendat præmia læta poli.
Quæ lex iudicij reſtet, quæ pœna ſub Orco
Damnatos maneat, quæ noua vita bonos.

Portus vbi, & ſedis, requies æterna beatæ,
Et fons lætitiæ non pereuntis erit.
Præterea Pſalmus præcepta ſalubria Vitæ
Continet, officij quò moneare tui.
Siue magiſtratus, ſeu ſacri paſtor ouilis
Seu pater & coniunx aut pia mater eris.
Quid moror? in pſalmis ſapientia ſumma recondit,
Solamen ſenibus, præſidiumq́; viris.
Si mulier veri petit ornamenta decôris,
E Pſalmis gemmas colligat ipſa ſuas.
Si iuuenis clypeum, ſi robur quærit in armis,
Nulla quã Pſalmi tutior ibit ope.
Pſalmus & infirmis puri dat pabula lactis,
Hauſtaq́; de verbo prima alimenta Dei.
Pſalmus & egregium calcar currentibus addit,
Atq́; acuit creſcens relligionis opus.
Roborat & ſummo ſtantes in culmine Pſalmus
Perfectamq́; pijs mentibus addit opem.
Qualiter & cœli tranquillior aura sereni
Compeſcit fremitum, ſæuitiamq́; maris.
Talis curarum fluctus, animiq́; dolores
Sedat, & omne adimit pectore Pſalmus onus.
Temperat & placidam pacem, mentemq́; modeſtam
Cordaq́; diuinis ſenſibus apta facit.
Deniq́; quòd numeris & dulci carmine conſtant,
Hac quoq́; me Pſalmi commoditate iuuant.

Cultor

Cultor & Aoniæ cum ſim non inſcius artis,
Proſequor Aoniæ conſona verba lyræ.
O vtinam poſſem dilectis addere Pſalmis
Sic par eloquio, vel pietate decus.
Vt tu doctrina pollens, linguaq; diſerta
Continuas penſum, vir venerande, tuum.
Quod precor, vt longum tibi vita ſuperſtes in æuũm
Neſtoreos donet continuare dies.
Christe faue ditata tuo ſic Hafnia verbo
Floreat, & Muſis, Pieridumq; domo.
Et Laurentiades ſit te cuſtode benigno,
Andreas doctæ lumen, honosq; ſcholæ.

AD DOCTISSIMVM ET ORNATISSImum Virum, Dominum Iohannem Franciſcum Ripenſem, artis Medicæ Doctorem & Profeſſorem in Academia Hafnienſi.

ELEGIA V.

DVlcis amicitiæ cultor Franciſce Camœnis
Salue nunc iterum terq; quaterq; meis.
Quam benè ſub fidum Deus omnia iunxit amorem,
Quæ pater in toto maximus orbe tenet.
Aſpicis æthério quæ ſit concordia cœlo
Et quæ temperies inferiora iuuet.

Acta per obliquum gemini diſcrimine motus,
Dum peragunt certas aſtra poluſq; vices.
Vtq; ſuas cœlo quæ ſpargunt ſydera vires,
Non numero coner dicere cuncta ſuo.
Sol Pater, in medio, vitali fonte caloris
Influit, & terras & maria alta fouet.
Et genus alituum, pecudumq;, hominumq; ſub auras
Elicit, & ſegetis, ſtirpis & omne genus.
Omniparens tellus gremio iacet ima profundo,
Atq; ſua nutrix omnia paſcit ope.
Vt tamen hoc præſtet motu, blandiq; vigore
Luminis è cœlo vim vegetata capit.
Omnia ſic dulci pendent connexa catena,
Ætheraq; & terras aurea vincla tenent.
Diuinum celebremus opus: ſub corpore paruo
Quicq; capax Mundi totius inſtar habet.
Vult Deus è toto ſpectari corpore Mundi,
Plus tamen è nobis laudis habere cupit.
Ipſe quibus Mundi pariter, magniq; parentis
Exemplar donis fecit ineſſe ſuis.
Ergò velut ſuperas Mundi ſator incolit arces,
Sedis & ætheriæ lucida templa tenet:
Sic quoq; diuina quæ Numen origine monſtrat,
Mens hominis cœli regnat in arce ſui.
Hoc cælum caput ẽ: ſacram nè temnite ſedem
Mortales: capiti non leue Numen ineſt.

Templa caput cœlum tenet en diuina: ſacerdos
Hîc anima ætherio Numine plena viget.
Cui dum ſacra facit, mollis velut ara cerebri,
Et tenui ſeruit lucidus igne vapor:
Vt rationis opus diuina luce coruſcans
Hîc radios celſa ſpargat ab arce ſuos.
Ergò nec eſt dubium, cœlo datur iſta Voluptas,
Mentis & hic proprio munere finis adeſt.
Vt contemplando traducat ſobria Vitæ
Tempora, diuinas quærat & artis opes.
Naturam rerum ſcrutetur, & æthera luſtret,
Autoremq́; ſagax noſcat ametq́; ſuum.
Quæ volet inſignem pia mens contingere finem
Quæ velut ætheria nobilitate tenet.
Hinc etiam capiti, cœlum quod mentis habetur
Sydera naturæ munere clara micant.
Sydera ſunt oculi, capitis quos fixit in arce,
Ætheris vt luſtrent alta theatra, Deus.
Aut vt odoratas ſpectent cum floribus herbas,
Cunctaq́; munifici pulchra creata Patris.
Quis feret ô bona plectra puer? quis laurea nobis
Nexaq́; de ruta ſerta virente dabit.
Accipias Franciſce chelyn, ſacra tempora lauro,
Et doctum ruta cinge virente caput.
Vt nobis oculos, oculorum & munera dices,
Et quæ res lædat lumina, quæq́; iuuet:

Quid ſi idem patulas deducas carmen ad aures,
Et pariter linguæ dulcia plectra canas,
Omnia quæ capiti doctrinæ iunxit ad vſum,
Et ſapiens mira condidit arte Deus.
Non tantum vacuo ſpeculetur vt ipſa receſſu,
Et mens ſe curis maceret ægra ſuis:
Sed quoq; per voces, diſcendi vſuq; docendi,
Alternas ſtudij poſſit obire vices.
Vnde nec ingratum ſocij conſurgat amoris
Fœdus, & ad vitæ mutua iura vocet.
Progrediar Franciſce, vocant conſortia rerum,
Quò nos & ſocij munera iuncta boni.
Mens homini celſa capitis demittit ab arce
Conſilium, motus quo regat ipſe ſuos.
Sic agitur, ſequiturq; ſui moderamina cœli,
Resq; ſuas capitis lumine dexter obit,
Omnis vt auſpicio cœli natura mouetur
Ducit & influxus hinc animata ſuos.
At cor in medio (velut alta mentis ab arce
Principium lucis, conſiliumq; capit.)
Sic quoq; vitalem per cætera membra calorem
Diffundens, ſtimulis excitat illa ſuis.
Naſcitur hic tenuis ſubtili Spiritus aura,
Et corpus radijs permeat omne ſuis.
Pars cerebrum petit, atq; ipſam ſe mentis ad arcem
Inſinuans, lumen lumine dulce iuuat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Pars fert viuificum per cœtera membra vigorem,
Et tenuis miſto ſanguine flamma volat.
Sic regione nitens media flammantis Olympi
Omnia ſol radio viuificante fouet.
Solis ad exemplum cor flagrat corpore noſtro:
O vtinam ſol hic purior eſſe queat.
Hic modo ſi teneat conſultæ mentis habenas,
Proferet ad vitæ commoda dulce iubar.
Hic tibi læticiam ſparget, gratumq́; vigorem
Et dabit è veris gaudia viua bonis.
At tu cor noſtrum munda ſanctiſſime trini
Numinis, & puro Spiritus igne veni.
Tertia vis hominis partes ſubſedit ad imas,
Quæ matris terræ ceu ſimulacra refert.
Hæc petit exhauſtis alimenta ſalubria membris,
Cum ſtimulat venas bile moleſta fames
Hæc petit irriguum per flaccida membra liquorem,
Cum ſitis accenſum torret anhela iecur.
Mutandoq́; cibos dum ſenſim grata recepit,
Atq́; ſuperuacuæ fecis abegit opus:
Egregiæ conſtant reparato corpore vires,
Nobile quas dulci ſanguine nutrit epar.
Adde, quod hæc molem creſcentis corporis auget,
Dum calor, & peragunt fortius humor opus.
Et ne deficiat, labenti conſulit æuo,
Propagatq́; noua ſtirpe perenne genus.

Hanc

Hanc velut à ſumma capitis mediaq́; neceſſe eſt
    Vi cordis ductu conueniente regi:
Grata vicem reddit ſic omnibus ipſa tuendis,
    Hac ſine pars hominis ſtare nec vlla queat
Vsq́; adeò toto ſeu cœlum & ſydera Mundo
    Seu terras ſpectes, terrigenumq́; genus:
Omnia iunxit amor, quæq́; in commune laborat,
    Omnibus in rebus mutua cura patet.
Ergo tuas Franciſce feram quo carmine laudes?
    Quæ redeat meritis gratia digna tuis?
Cultor amicitiæ veteris quod iura tueris,
    Nec mea Lethæis nomina mittis aquis.
Scilicet vt myſtes Naturæ candidus eſſes,
    Ingenium multa præſtitit arte tibi.
At quoq́; Naturæ quò ius in amore ſequaris,
    Ingenui præſtat pectoris ipſa fides.
Dulcius in terris nil fido viuit amico:
    Huic par optari gaza nec vlla poteſt.
Fœdus amicitiæ ſtudijs ſic pectora iungit
    In gemino viuat corpore vt vna anima.
Hæc facit, vt viſo tibi dulce exemplar amico,
    Et grata occurrant ceu monimenta tui.
Hæc facit, abſentes vt amatis vultibus adſint,
    Hæc inopum certo munere damna leuat.
Inſtruit infirmos hæc viribus, alleuat ægros,
    Sublatos ipſa viuere morte facit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Viuamus Franciſce ſimul, moriamur amici:
Nos tamen à ſero funere fama feret.
Cumq́ ego non poßim tibi munera diuitis auri
Reddere (ſat propria ſorta beatus habes)
Carmine victuro celebrans tua nomina, reddam
Quas habeo ſolas pauper amicus opes.
Nec tamen has ſpernes quòd nobis reddere poßis
Nata tua pariter talia dona domo.
Carmina ſed quoniam miraris, & ipſe ſecutus
Es quondam cultæ carmina mentis opes:
His opibus ſaltem tenuis gaudebis amici,
Nec minus hæc auro munere grata feres.
Viue memor Vatis patrias Franciſce per oras,
Pectoris & noſtri mutua cura, Valè.

AD DOCTISSIMVM ET PRÆSTANtißimum Virum Dominum Petrum Seuerinum Medicum Regium.

ELEGIA VI.

PEtre Machaoniæ celſa decus artis in aula,
Rex Fridericus vbi Danica ſceptra gerit.
Quàm tibi, ſi ſineret mea ſors, oſtendere vellem
Pectoris, & ſtudij pignora certa mei.

Vndè

Vnde tui memorem poſſes cognoſcere vatem
Qui te non ficto mentis amore colit.
Cana prius flammis Amianthi maſſa peribit,
Mulciber aut auri perdet in igne decus.
Quàm tua quæ ſacrum doctrina meretur honorem,
Et virtus animo poßit abire meo.
Sed neq; flamma vorax Amianthum perdet & aurum,
Nec potero vates immemor eſſe tui.
Eſſe quid hoc dicam tamen, aut arcana per ignem,
Vnde manet Virtus hæc Amianthe tibi:
Mulciberiſq; foco, qua vi, pretioſius aurum
Suſtinet examen terq; quaterq; ſuum?
Scilicet hoc Natura parens prouidit, vt ignis
Non noceat, multa ſed queq; parte iuuet.
Igne (quid hoc gemmis fieri miramur & auro)
Viuimus, in noſtro qui latet ecce ſinu.
Dum manet innati Virtus illæſa caloris,
Corporis & noſtri vita vigorq; manet.
Corpore de noſtro natiuum tolle calorem,
Iam ſublata ſimul vita vigorq; fugit.
Spiritus hic tenui corpus qui permeat aura,
Et ciet officijs omnia membra ſuis.
Quid niſi vis calidæ volitans per viſcera flammæ
Quam leuis incenſo ſanguine feruor agit,
Quid plantas, non ſolis alit quoq; feruida Virtus?
Quæ ſi deſuerit, languida torpet humus,

Deperit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Deperit alma ſeges ſterileſcit Bacchica vitis,
Nec pariunt fructus arbor & herba ſuos.
Quid referam varias vitæ quas repperit artes
Ignis inexhauſta calliditate virûm?
Seu Vulcane pater, celſæ ſeu montibus Idæ
Hoc inueniſtis vos Corybantes opus.
Ignibus excoctum liquidi genus omne metalli
Funditur, hinc ferri fabrica dura venit.
Hinc æris, plumbiq́ datur deducere maſſam,
In quodcunq́ ſagax deſtinat autor, opus.
Si volet hic ſtabunt imitantes corpora vultus
Si volet hic, ſonitum tinnula nola dabit.
Aut grauior triſti prodibit machina bello,
Mœnia quæ validis ictibus alta quatit.
Nec minus argenti formam, vel ductilis auri
Mille modis ſolers vertit in igne labor.
Igne rubens minium, pigmentaq́ fuſa parantur,
Conflatum rutilo prodit ab igne vitrum.
Excoquit hic lapides, & calcis præparat vſum,
Materies tectis ſufficit vnde nouis.
Vtq́ dedit fieri, muros & mœnia rumpi,
Et noua diſſolui ſic quoq́ tecta dabit.
Sed prius innumeros ignis q̄ dixeris vſus,
Dixeris Hyblæi gramina cuncta ſoli.
Hic docuit mollire cibos, & pinſere farra;
Hoc potuit nullo vita carere loco:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Floribus hic ſuccos docuitq́; fragrantibus herbis,
Elicere arcanam, quæ medeatur, opem.
Pæoniumq́; chorum medicamina multa laterent,
Horum ni virtus igne reperta foret.
Vtq́; ſecant ferro, quædam ſic igne chirurgi
Vrunt non alio membra leuanda modo.
Quin etiam diram potuit depellere peſtem
Auſpicio Coi flamma probata ſenis.
Attica cum latè regio contagia ſenſit
Quæ miſeris homines ſunt populata modis.
Cum putrefacta alijs de corpore membra reuulſit
Sæua lues, alios impulit ipſe furor.
Vt ſe præcipites in aperta pericula ferrent,
Et malè mutarent triſtia morte mala.
Cernimus & venas ſuffuſæ ardore perenni
Languentum vitijs vt medeantur aquæ,
Multus vbiq́; latens terris exæſtuat ignis,
Atq́; cauis multus montibus ignis ineſt.
Nec tantum incenſi fumant iuga ſumma Veſuui,
Aut nota eſt flammis Sicelis Ætna ſuis.
Ad ſeptem gelidos ſed tellus ipſa Triones
Quæ iacet, eſt multis igne referta locis.
Gothia (ſic memorant) & flagrans vltima Thule
Flammarum vario gurgite plena ſcatet.
Et dubitamus adhuc, medio ſi viuimus igne,
Atq́; infinitis vtimur igne locis.

Huius in arcanas animum contendere vires
    Et bona mirari, quæ ſacer ignis habet.
Ille quidem, ſi vim Natura Deusq; relaxet,
    Iam nos abſorpto protinus igne voret.
Tanta ſpecus terræ flammarum incendia cingunt
    Tàm viuit noſtris plurima flamma focis.
Tàm multus venis ſilicum latet abditus ignis,
    Sic etiam lignis, arboribusq́; ſubeſt,
Adde tot aßiduo prægnantes fulmine nubes
    Syderaq́; & rapidas Solis ab ore faces.
Cuius in aduerſos radios ſi concaua pônas
    Concipere en flammas hinc ſpecula ipſa vidès.
Ergò etiam (nec vana fides) ventura reſoluet
    Hunc Mundum flamma vindice ſumma dies.
Seu terræ erumpet varijs ferus ille cauernis,
    Seu ſupera præceps ignis ab arce cadet.
Intereà grati ſed munera tanta colamus,
    Vtilis aßidua quæ parit ignis ope.
Mentibus atq; vtinam noſtris ſacer influat ignis
    Prædulci ille flagrans ignis amore Dei
Quem Patris & Nati profert ſpirabile Numen
    Pectora fida nouans ad pietatis opus.
Sic nos illa minus ſupremæ flamma ruinæ
    Præcipites poterit turbine ferre ſuo.

Sed lux, nos radijs amplectens læta ſerenis,
Afferet æterno gaudia pura ſinu.
Quà Pater & Natus reſidens in vertice ſummo
Aurea cum ſancto Flamine regna tenet.
Hæc nos fauſta, precor, meliores fata per ignes
Excipiant votis candide Petre faue.
Sic tibi quæ ſolers myſteria perficit ignis
Ad Medicæ conſtant omnia munus opis.

AD DOCTISSIMVM ET CLARISSImum Virum, Dominum Andream Lemwicum, Medicæ artis Doctorem & Profeſſorem in Academia Hafnienſi.

ELEGIA VII.

SI licet Andreà paruo mihi cognite menſæ
Munere, quam nobis Scania læta dabat.
Tunc cum Nicolews Hymenæi ſacra parabat
Albinus, natæ præſul amore ſuæ.
Si licet ergò breui te carminis alloquar vſu,
Vberior ſic nos poſtmodò iungat amor.
Aſtra, bonasq; colens Thales Mileſius artes,
Quæ decus è Sophiæ cognitione parant.
Ponere cum vellet ſolers primordia rerum,
Edita de liquidis omnia dixit aquis.

Quæ

Quæ malè deceptam non luſit opinio mentem:
Ingenio vidit multa vir ille ſuo.
Ipſe Creatoris cum munere prodijt æther
Corpora de vitreis tanta leuauit aquis.
Quas Pater vt liquidis tumefactum flatibus vtrem
Extendit verbo protinus ipſe ſuo.
Inq́; nouos prodire globos, motusq́; perennes
Iuſſit, & immenſæ lucis habere decus.
Hinc quæcunq; vides toto naſcentia Mundo,
Omnia tum generat, tum ſuus humor alit.
Vt taceam magno labentes agmine piſces
Quos aqua fœta mari fluminibusq; parit.
Vt taceam lætis fœcundos frugibus imbres,
Omnis & unde frutex, omnis & herba viret:
Ipſa velut primo vegetans ſibi vendicat ortu:
Sic riguus ſeruat corpora noſtra liquor.
Quattuor (vt Medici perhibent) humoribus omnis
Vita hominum, pecudum conſtat & omne genus.
Primus abit dulci rorans per membra liquore
Sanguis, & aſſidua corpora nutrit ope.
Aëris hunc inſtar rerum dixere periti
Quem generans venis nobile mittit epar.
Huic Pituita ſubeſt aqueo commiſta fluore,
Sanguinis ardorem frigidiorq; leuat.
Et linguam faucesq́; rigans, & molle cerebrum,
Et motu teneros adiuuat articulos.

Tertia flauenti penetrat velut ignea ſpuma
    Sanguinis & curſum bilis acuta mouet.
Pars ſubit & ciſtam fellis, pars fertur ad exta,
    Fecis vt abſterſum corpore pellat onus.
Vltima ceu fundo ſubſidit ſanguinis imo,
    Terreſtrem ſuccum bilis & atra vehit.
Hæc & ſplene ſuo gaudet, ſtomachoq; per arctos
    Hinc deuecta ſinus vtile præſtat opus.
Ergo velut conſtat ſua vis humoribus iſtis,
    Temperie excedens, vel moderata, ſua:
Sic animi variant pariter cum corpore ſenſus
    Corpora ſic languent, ſic quoq; noſtra valent.
Cernis vt aſpectu delectet floridus ipſo
    Atq; hilares animos, lætaq; membra ferat.
Cui benè compoſitus dominatur pectore ſanguis,
    Viuidus & venis corpus in omne ſalit.
At pituita grauis quos phlegmate tardat inerti,
    Atq; aqueus membris pinguibus humor alit:
His ſomni dulces, his deſidis ocia Vitæ
    Corporis & minor eſt, ingenijq; vigor.
Flaua dat ingenio celeres, & mentibus acres:
    Difficiles animis bilis at atra facit.
Si tamen hæc iuſtum fauſtis moderamen ab aſtris
    Sanguinis & miſti commoditate tenet.
Proferet egregios animis Heroas, & omni
    Qui decus arte parent, lumina clara virûm.

Scilicet

Scilicet vt vino penetrans ſpumante cerebrum
Excitat, & vires halitus ille facit.
Quo calet ingenij,quo pectoris acrior ardor,
Nec tamen exuperans ebrietate modum.
Sic accenſa ſuo ferueſcit, & incita motu
Lucidius bilis concipit atra iubar.
Dumq́ auri ſplendens exhalat & Iridis inſtar,
Durat & in motu firma tenaxq́ ſuo:
Munera proueniunt animo deducta ſereno,
Quæ pariunt magnæ laudis & artis opus.
Talis Scipiades Libyca Carthagine victa
Æternum meruit Marte togaq́ decus.
Talis erat Cæſar quoq́ Iulius, armaq́ & enſes
Viſus & in ſomnis prælia ſæua ſequi.
Et quondam lachrymas qui laudis amore profudit
Pellæi ſtatuam vidit vt ille Ducis.
Eloquij princeps ſic Tullius,incita tali
Sic quoq́ bile Maro pectora ſacra tulit.
Cuius Pierides Latio ſunt ore locutæ,
Fœtaq́ mens omni cuius ab arte fuit.
Hac ego, ſi liceat, ſtimulatus pectora bili
Ingenij cuperem præmia clara ſequi.
Sin mea degeneri titubabunt pectora ſucco,
Nec bilis iuſtum fecerit iſta modum.
Grata Sophoclæi ſaltem deliria morbi
Proſequar inſani pars quotacunq́ gregis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Carmen amem, lætæ placeant conuiuia menſæ:
Me iuuet in tota nil & habere domo.
Hæc mihi ſufficiant, Andrea clare virorum,
Quos medica ſolers Delius arte beat.
At prima tu parte locum generoſus habeto,
Bile tenent nati quem meliore viri.
Quem tulit aut Cicero, mens aut diuina Platonis
Aut pater Hippocrates, Pergameusq́ ſenex.
Sic tibi proueniat medicam ſpectata per artem
Gloria, ſic iuncta præmia laude feras.
Quæ tibi quò multos creſcant cumulata per annos
Andrea noſtri iam memor vſq́, vale.

AD REVERENDVM ET DOCTISSImum virum, Dominum Baldaſarum Iacobæum, artium Philoſophiæ Magiſtrum & Archidiaconum Lundenſem.

ELEGIA VIII.

Qvam tibi docte ſenex fert littera noſtra ſalutem,
Hanc ſupera præſtet Chriſtus ab arce precor.
Molliter vt peragas tranquillæ fata ſenectæ
Ceu fuit auſpicijs acta iuuenta bonis,
Quæ tibi non turpi defluxit marcida luxu
Deſidia aut florem carpſit inerte tuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Acre ſed ingenium doctas intendit in artes,
Et Sophiæ ſtuduit mitia caſtra ſequi.
Aut varias paßim gentes luſtrauit, & vrbes,
Pectoris indagans experientis opus.
Quà Latium, Thuſcusq́; potens, & maxima Roma
Adriacíq́; nitent tecta ſuperba maris.
Et quà liligeri per regna vberrima Galli
Cum Rhodano liquidis Sequana fertur aquis.
Quid virides Rheni tractus, quid rura Sicambri
Belgarumq́; domos, Teutoniæq́; canam?
Et quas prætereà iuuit cognoſcere gentes,
Et procul externo littore ferre pedem.
Dum ſtudia & mores hominum geniumq́; locorum
Clara ſuis luſtras ac monumenta locis.
Talis Dulichij prudentia fertur Vlyßis
Vſibus aßiduæ multiplicata viæ.
Talis iter Pharias longè Plato doctus ad oras
Cecropiæ, ſubijt, qui decus vrbis erat.
Nec piguit Samium procul hoſpita tecta magiſtrum,
Atq́; peregrini viſere regna ſoli.
Scilicet eſt Sophiæ comes experientia rerum
Et fructum multæ commoditatis habet.
Hæc peperit pulchras varijs conatibus artes
Hæc facit artificum creſcere dulce decus.
Aurea dicendi facundia creſcit ab vſu:
Sæpè canat, quisquis Muſicus eſſe cupit.

Qui faber eſſe cupit, fabrilem exerceat artem,
Agricolamq́; ſui cura fatiget agri.
Militet, ac duram Martis ferat ille palæſtram,
Qui palmam clari poſcit habere Ducis.
At qui laude togæ ſapiens florere ſenator
Et ſibi vult ciues conciliare ſuos.
Hunc opus eſt, grauibus verſet Reſpublica curis,
Diſcat vt officij pondera ferre ſui.
Omne adeò vitæ genus à moderamine certo
Pendet, & aſſuetæ dexteritatis eget.
Multaq́; res temerè miſcendo peccet, oportet,
Qui minus experto pectore cautus agit.
Sunt duo diuerſi cognato ſanguine fratres,
Et qui diſsimili rem ratione gerunt.
Alter conſilio præſtans, & mente Prometheus
Omnia ſolerti prouidus antè videt.
Alter ſed ſero ſapiens (Epimethea dicunt)
Vix demum à facto cernere recta poteſt.
Admonet hunc alter, multumq́; fidelibus ante
Conſilijs, quæ ſint perficienda, docet.
Sed rarò cedit monitis temerarius iſte
Ingenio nimium fidit & ipſe ſuo.
Hinc fit in errorem præceps vt ſæpè feratur,
Et doleat rectam non tenuiſſe viam.
Fabula de nobis hæc luditur: aſpice mores
Inuenies ficto nomine quiſq́; tuos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

In noſtro demens Epimetheus pectore regnat,
Noſq́; latens crebris decipit ille dolis.
Sunt pauci, quibus eſt animi diuinior aura,
Certior & virtus quos ſuper aſtra uehit.
Attenta vigilem qui mente Promethea reddunt,
Et ductu veræ rem rationis agunt.
At pleriq́; nimis ſequimur, quo cæca cupido
Spesq́; leuis vana credulitate rapit.
Rebus in humanis ſic plurimus accidit error,
Et grauis accedit poſt malefacta dolor.
Stultorum ſic eſt euentus vbiq; magiſter
Experti tandem cum meliora vident.
Ergò nec immeritò ſolers placet omnibus vſus:
Plurima, quò ſapias, hic documenta dabit.
Hoc duce, multarum memor experientia rerum
Conſilium vitæ certius omne regit.
Eſt quoq; doctrinæ ſua uis, exemplaq́; multum
Indicis hiſtoriæ cognitione iuuant.
At ſi quis ſtudium iunxit ſapienter vtrumq́;,
Ille mihi ante alios laude vehendus erit.
Has tibi cum geminas vitæ, rerumq́; magiſtras
Baldaſar, ad laudis, docte, pararis iter:
Iurè tibi canam tribuit prudentia palmam,
Et precia exhauſti pulchra laboris habes.
Quem tibi vel iuueni grauis experientia rerum,
Ipſa vel hiſtoriæ lectio multa tulit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Viue vale venerande ſenex Chriſtoq́ ſalutis
Auſpice ſors votis affluat æqua tuis.
Sic tibi ſint Muſæ faciles, ſic dulce iuuentæ
Curriculum, & longas ſit meminiſſe vias.

AD MVSAS

ELEGIA IX.

EDita Pieridum ſoboles de vertice ſummo
Aurea diuini qui regit aſtra, patris.
Eſte ſalutatæ dulces mihi, quæſo puellæ
O lux atq́ animæ gaudia caſtæ meæ.
Per vos ætherij laudes celebrare Parentis
Et datur æterno dicere grata Deo.
Per vos Heroum viuit poſt funera Virtus,
Contumulet mutus ne benefacta cinis.
Vos datis humanæ præcepta ſalubria Vitæ,
Et varium doctæ panditis artis opus.
Quæ ſi defuerint nobis cœleſtia dona,
Ecquis ſquallor iners barbara corda premet.
Non homines, ſed monſtra ſumus, ſi Muſa recedat
Deſtituens cultu pectora caſſa ſuo.
Fabula Trinacriæ non eſt incognita Scyllæ,
Effigies ſtultæ cui ruditatis ineſt.
Virginis ora gerit facies humana ſupernè:
Cor circum media trux leo parte ſedet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Pube tenus cingit latrantibus inguina monſtris,
Atq́; vtero ſæuit vis inimica canum.
Sic rude barbarie ſeptum qui pectus agreſti,
Moribus, & nulla cultus ab arte, gerit:
Præditus humana quamuis eat ille figura,
Adſit & igniculis mens ratioq́; ſuis.
His tamen oppreſsis alios violentior ignes
Concipit & victus turbine cordis abit.
Irruit & demens inſani more Leonis,
Quò furor, & præceps bilis, & ira rapit.
Et niſi vindicibus ferus omnia proterat armis,
Non animo factum vult ſatis eſſe ſuo.
Quid memorem, maleſuada Venus quos concitat ignes?
Quid Ventris ſtimulos, ingluuiemq́; gulæ?
Hæc vis illa canum: tali fera monſtra latratu
Excruciant auidum turpiter vsq́; iecur.
Sponte voluptatum cum cedit agreſtis amori
Et luxum recta plus ratione colit.
Talibus haud igitur quæ vult ſuccumbere monſtris,
Ingenuas artes mens ſtudioſa colat.
Pieridumq́; ſacris ſeſe ſubmittat habenis
Quæ tradunt monitis aurea iura ſuis.
Vnde animus pulchro poſsit miteſcere cultu,
Indomitamq́; procul pellere barbariem.
O iterum dulces ſaluete iterumq́; puellæ:
Per vos egregium Dania lumen habet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Dania doctorum cultu decorata virorum,
Munifici ſeruet quos pia cura Dei.

AD CHARITES

ELEGIA X.

QVÆ colitis Diuæ terno pia fœdera nexu
Et geritis faciles ad benefacta manus.
Ecquid amabilius veſtris elucet ocellis?
Quoq; patent niueo pectora nuda ſinu?
Primaq; tu nitido ſplendens Aglaia vultu,
Cui flos purpureæ fragrat odore roſæ.
Quàm benè legitimi tu munera iungis amoris,
Quàm mens officijs gaudet honeſta tuis.
Turpe nihil, ſed cuncta volens impendis amicis
Quæ poſſunt ſaluo iuris amore dari.
Altera, fœcundam cui geſtat dextera Myrthum,
Euphroſyne læta tu quoq; fronte nites.
Mente doces hilari tu promere munus amico,
Grataq; tu plena reddere dona manu.
Dum mora, dum faſtus procul hinc excluditur omnis,
Auſpice te meritis gratia maior adeſt.
Tertia quæ pulchrum ſeruare Thalctia virorem
Perpetua viuax integritate ſoles.
Rara quidem terris, ſed ſicubi pulchra moraris,
Mente vetas memori tu benefacta mori.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Cur tamen aſtragalo manus eſt inſtructa? moueri
Euentu, recti conſcia Diua, negas.
O dulces ſaluete Deæ, quas pectore candor,
Ornat & ingenuæ ſimplicitatis amor.
Quæ fucum, turpemq́; dolum, fraudemq́; peroſæ
Exeritis nudo faſq́; piumq́; ſinu.
Vobis templa quidem medias poſuere per vrbes
Ingenio priſci candidiore patres.
Nunc ſi pulſa fides, ſi languet gratia terris
Si benè pro meritis frausq́; dolusq́; vigent.
Trux odium, liuorq́; malus ſi cuncta repleuit
Cura vetuſtatis nec ſuper vlla manet.
At ſaltem veſtris Charites ne linquite donis
Pectora Caſtalio ritè dicata choro.
Hoc precor, hæc dulces animæ vos munera iungant,
Quas penes Haſſniacæ ſtat pia cura ſcholæ.
Ipſe ego perpetuo vobis candore probabo
Synceram, ſtabili iunctus amore, fidem.
Vos modò, quæ teneræ tranſmitto carmina Muſæ,
Pectoribus placidis conſulitote boni.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

ERRATA SIC
CORRIGE.

A 3. linea 5. lege Tethys. lin. 21. vndantia. A 4. facie 2. lin 8. in fine verſus dele punctum. A 6 fa. 2 lin. 17 lege Heroinæ. A 7 lin. 2 pro propinquat lege præiuit. lin 19. gurgite. B 4. lin. 18 leuet. B4 fa. 2. lin. 26. vllum. B 5. f. 2 lin 3. releuare. C 1. lin. 23 Saracenis C 2 f. 2. lin. 5 iubent & lin. 19. tenebis. C 6. lin. 23. luce. C 8. fa 2. lin. 19. queat hic ſupereſſe. D 1. lin. 25 Abluitur D 3 lin. 11. precantur & lin 12 adferet & lin21 quid, quæ. D. 7 lin. 24 candidus E 5 fa. 2 lin 16. tui E 7 fa. 2. lin. 13 ingens. Ib. lin. 21. artificum F 2. lin 6. Diues & lin. 24 amare F 3. fa. 2 lin. 2. Conueniens. F 4 lin. 9 ſic F 7 lin. 24 pro ; pone : G 2 lin 1 mereatur H 2 fa. 2. lin 1 Vidimus H 3. fa 2. lin. 3 concidit & lin. 21 totoq; H 5 lin. 7 Parrhaſias. & lin. 12 Brabeum, H 7 lin 1 Cætera. I 8. lin. 4 ſorte & lin. 21 Danica. I 6 fa. 2. lin. 8 poßit.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 135 [53,-65 8°]